9.5.428 BK 2°
141 = 1

AD
CAROLUM EMMANUELEM
SARDINIÆ, HIERUSALEM, ET CYPRI REGEM

JOHANNIS BERNARDI VIGI

DE

SINDONE TAURINENSI
APPENDIX.



Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. x. 23.

AUGUSTÆ TAURINORUM, MDCCLXIX.
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Digitized by Google

AD CARMEN

DE SINDONE TAURINENSI

APPENDIX.

ARGUMENTUM.

Cacodæmones Camberio dilapſi, ſuoque a Rege (ſic fingitur) acriter multati apud inferos, quod, ſacroſancta Sindone illæſa, reverterint, dum eius e conſpectu juſſi abeunt, atrociter inter ſe, vehementi orta altercatione, pugnant. Poſt hanc pugnam Hugonoticum bellum, quo diu preſſa Gallia, præſertim Celtica, fuit, commemoratur. Hinc Joſeph ab Arimathæa Deum orat, ut promiſſi memor Sindonem transferri jubeat Auguſtam Taurinorum; eique Deus futuram Italiæ peſtilentiam prædicens, conſilium aperit ſuum. Deſcribitur hæc peſtilentia, & D. Caroli adventus in urbem, ut votum ſolvat; tum Sindonis Translatio, & pompa, qua Taurinum invecta, ſollemneſque honores, tunc primum, poſtquam publice oſtenſa fuit, & ad venerationem propoſita, eidem adhibiti.

Nunc tua, Taurinum, nova gaudia, pectore paſſim
Natorum effuſa, & multis celebrata diebus,
Divinam ob Telam, divino numine tandem
Sedibus illatam, queis te clariſſima fama,
Qua ſol æquoreis ſurgit, qua conditur undis,
Jamdudum canit, expediam; longumque dolorem
Camberii dicam, & quæſitos Pignori honores.
Gratia magna Duci, quo non præclarius alter
Conſuluit fractis rebus gentiſque, tuique
Hoſtilem cohibens clara virtute furorem,

Digitized by Google

Terroremque abigens belli, pacemque reducens.
Multum ille [1] & populis factam, immeritoque Parenti
Vim doluit patriis procul oris nobile Martis
Exercens, cui natus, opus, viridique ſub ævo
Laudibus heroum adſueſcens, magniſque triumphis.
Tandem & Pictonicis auſus procedere campis,
Agmina agens cognata, ſuis in finibus ipſis
Tollentemque iras hoſtem, ſpoliiſque ſuperbum
Fregit, & æternum ſibi nomen condidit armis,
Præſidiumque tibi; pacis quam munere lætam,
Et firmo ad belli caſus munimine cinctam,
Mox decora alta parans, cœleſti Pignore avitis
Ædibus avecto ornavit, ſua parta tropæa

1 Emmanuel Philibert, qui eut le nom d'Emmanuel, en mémoire d'Emmanuel Roi de Portugal ſon ayeul maternel, & celui de Philibert à cauſe d'un vœu que le Duc Charle ſon Pere avoit fait à S. Philibert de Tournus.... Comme les affaires de Piémont alloient mal pour le Duc, ſon Alteſſe, qui étoit en Flandres, par ordre du Roi Philippe, dreſſoit une puiſſante armée pour entrer en France.... Après pluſieurs eſcarmouches de part & d'autre, il vint mettre le ſiége devant S. Quentin.... Comme le Conneſtable (de Montmorency) s'en revenoit, les troupes du Duc de Savoie le chargerent avec tant d'impétuoſité, que, le combat ayant duré quatre heures, les François furent défaits..... L'Empereur ayant eu avis par le Roi Philippe du gain de cette bataille, en écrivit de ſa propre main une lettre de compliment à ſon Alteſſe.... Ce fut un Prince de médiocre taille, beau de viſage & majeſtueux, d'un agréable abord, généreux, affable, civil, libéral avec jugement, grand juſticier, modéré en ſa colère, adroit en tous les exercices du corps, & fort dévot.... Enfin ce fut un grand Capitaine, & le plus ſage politique de ſon temps. *Thomas Blancus in Epitome Hiſtoriæ regiæ Domus Sabaudæ lib. 5.*

Digitized by Google

Sic tibi grata magis reddens, magis inclyta terris.

Vos mihi, ſtellantis clariſſima lumina cœli,
Aligeri juvenes, mea pridem in vota vocati
Rurſus o! adſitis, quando jam numine veſtro
Cœptum opus; atque novas faciles in carmina vires
Sufficite, extremoque boni adſpirate labori.
Huc etenim demum, famæ pars maxima noſtræ,
Carbaſeum Donum, ſpes & fidiſſima gentis,
Auſpicibus vobis, (ut per diſcrimina rerum
Innumera abs oris quondam, maribuſque remotis)
Saxa per & rupes, perque ardua culmina venit:
Vos huc ingentem Regum e penetralibus altis,
Urbis ubi a curis illi requieſcere ſueti,
Duxiſtis pompam, quum primum mœnibus iſtis
Succeſſit mirabile opus; ſiſtique perenni
Gaudentes ſede, ut vobis prædixerat olim,
Fratribus & veſtris Genitor, qui redditi honores
Patribus ab noſtris? Quæ prodita gaudia paſſim
Vidiſtis, Divi, vatemque monere poteſtis.
Nec minus o noſtræ decus immortale Camœnæ,
Cunctarumque amor, & ſpes, ac tutela ſororum,
Carole, cui ſtipat latus uſque, atque adſidet alto
In ſolio pietas, qua non inſignior alter,
Priſcaque majeſtas Latii, & clementia læta,
Sis felix, animumque iterum, vireſque benigno
Adde mihi vultu, atque humilem ne deſpice cantum.
Alpibus e ſummis, Patrumque e ſede tuorum
Huc tandem avectum cœli venerabile Donum,
Unde tuæ merito acceſſit nova gloria Stirpi,
Gloria, quæ celſo ſe ſuſtulit undique olympo,

Adventuſque canam auſpicia, & ſollemnia ſacra.

Tartareum ut limen campis dilapſa Sabaudis,
Camberioque procul cœleſti abs agmine pulſa
Sæva cohors pavitans rediit, Regique tremendo
Adſtitit, hic frendens, ſubitaſque effuſus in iras
Irrita jam fratrum conamina cuncta, fugamque
Præcipitem audierat, totoque furentis ab ore
Abſiſtebat atrox, bacchans ſub pectore, flamma.
Ergo his adloquitur trepidantem hinc, inde, ſoloque
Fixam oculos turbam, & regnum ciet omne tumultu:
Siccine ſpes noſtras, ſegnes, ſic publica vota
Cunctando expleſtis? Sic vincitis omnia veſtris
Artibus, atque dolis, ut mos jactare ſuperbis
Vocibus, expoſcit quum facta haud ſegnia tempus?
Ite meo digni, ignavum genus, ite furore,
Æternoque odio; & pœnas date carcere clauſi,
Quem magis obſcurum domus hæc penetralibus altis
In ſontes ultrix, & fœda piacula ſervat.
Tum pedibus terram, ferroque tricuſpide pulſans,
Unde omnes late horrendum intremuere cavernæ,
Intremuere lacus, flammaſque e pectore proflans,
Ore ferox atrum in Proceres, ſævumque tridentem
Protinus intorſit, turbamque a limine abegit.
Nec mora Tiſiphone (ſolio de more ſedebat
Proxima noctigenis ſtipata ſororibus) ultro
Adgrediturque flagro fugientes anguibus horrida,
Et quatit inſultans, ſociaſque immittit, & urget.
Verberibus ſonuere humeri, ſonuitque ululatu,
Et ferri ſtridore domus, tractiſque catenis:
Dumque fugam huc, illuc trepidi, & ſine more capeſſunt;

Dum loca juſſa petunt, cunctorum & colla colubris
Horrent interea, tandem pugna aſpera ſurgit.
Namque, duces alii dum incuſant, hique malorum
Eſſe caput clamant vulgum, & convicia jactant,
Omnibus igneſcunt fera corda; actiſque furore,
Alter in alterius nullo diſcrimine cladem
Irruit, ac martem ſimul omnis turba laceſſit.
Ilicet hic contis, ſudibuſque, ſpariſque præuſtis
Res geritur, geriturque illic crudeliter uncis,
Et bifidis verubus, manes queis cogere in unum
Gens ſtygia, & pœnas ſoliti exercere ſub orco:
Hic ſaxis, aliiſque, furor quæ præbuit, armis.
Jamque ſonant icta, & terga, & capita horrida, & ora,
Cornuaque ipſa ſonant: lavit ater pectora multis
Jam ſanguis, vaſtuſque ferit late aërea clamor.
Hinc fugit hic ſocium; hinc illum truculentior urget:
Ringitur hinc alter; furit alter; multaque circum
Pars gemit: adverſos petit hic; latus ille petentis
Fuſte dolat querno: ſaxis iſte ora cruentat;
Hic pugnis: multi ſe ſe trepido æquore verſant,
Inque vicem rodunt complexi, & morſibus inſtant.
Sic quandoque acres, ira exſtimulante, moloſſi,
Os forte in trivio nacti, vel limen ad altum,
Dentibus exertis, villiſque immaniter hirtis,
Ringuntur, patuloque ardent in vulnera rictu;
Nuncque genas ſævi arripiunt, nunc colla, vel armos,
Implicitique hærent, denſuſque it pulvis ad auras.
Spectant paſtores, acuuntque hortatibus iras.
Sunt, capite inverſo qui per loca cæca trahuntur,
Altius impacto, qua collum innectitur armis,
Vulnifico ferro, verruntque volumine caudæ,

Et pedibus ſignant, curvis & cornibus æquor.
His ſuper incumbunt dejectis pondere ſaxi,
Qui magna ſe mole ferunt, genibuſque prementes,
Informemve alvum, villoſave terga, fatigant
Os pugnis, pugniſque truces cava tempora tundunt.
Cornibus hi certant, velut ira, & amore ſubacti
Monte ſub aërio, fluviique in margine tauri.
Plauſibus hinc miſti exaudiri ſævi ululatus,
Sibilaque, & voces inconditæ, aprûmque furentum
Terribiles gemitus, &, quos leo ſaucius edit.
Limine ab adverſo ſtygiæ trux Arbiter aulæ
Proſpectat, gaudetque ſuo ſine numine tantum
Audere iratos in mutua vulnera fratres,
Inque vicem meritas dare quemque, & poſcere pœnas
Tandem ipſe accedit, penituſque abſiſtere pugna
Imperat, atque truci dirimit clamore tumultum.
Ergo abeunt juſſi ſua quiſque ſub antra frementes.
At prius in ſontes diris cruciatibus iras
Exercent, rabiemque acuunt genus omne gravantes
Pœnarum immanes, torquentque, gemuntque viciſſim.
Haud aliter victi magno in certamine, vixque
Elapſi e manibus, lethi & diſcrimine ſummo,
Si forte hoſtilem nullo munimine pagum
Præcinctum offendant, populumque in limine inermem,
Dum fugiunt, imoque pudor ſub pectore fervet,
Exagitatque furor mentes, a ſanguine pœnas
Innocuo repetunt, tectiſque incendia miſcent
Sæpe, ſuæ & cladis dira hæc ſolatia quærunt.
Interea magis atque magis, cocytia poſtquam
Camberium, ſtagna alta petens, fera turba levavit
Exſultare animo, lætaſque ad ſidera voces

Tollere

Tollere felices cives, perque omnia templa
Inſtaurare Deo grates, propriumque putare
Jam Donum, & natis portendere cuncta ſecunda
Quiſque ſuis; nec nequicquam ſibi pignus amoris
Eſſe datum tanti, & tam claro numine ſummo.
Gaudia quin etiam paſſim celebrata quotannis
Illa diu, & patres ſoliti cœleſtia monſtra
Ordine ſæpe domi prima ſub nocte referre
Adſtanti circum teneræ, multumque roganti
Innocuæ proli, ac Monumenti incendere amorem.
Dulcior a cunctis hinc ſpes, volventibus annis,
Uſque foveri animo, certumque in rebus egenis
Præſidium, & vitæ columenque, decuſque paratum
Divino in Dono credi, nec cœca timenda,
Quæ genus humanum verſant tam multa, pericla:
Regibus hinc firma, & toti fiducia genti:
Hanc merito ante alias Superis, Superûmque Parenti
Dilectam oræ omnes ferre; illi quæque ſecunda
Portendi monſtris, quæ omnis mirabitur ætas,
Camberiique urbi præſertim, munere tanto
Dignatæ, & Generi præclaro a Saxone ducto. [1]
At fore, quum, verſis lugeret denique fatis,
Camberium, & ſedes Cœli mirabile Donum
Tranſmiſſum externas lacrymis confecta videret,
Audierant multi: ſublimi abs æthere lapſum

1 Conſtat Sabaudum genus a Beroldo, quem diximus, originem habuiſſe. Beroldum autem Germaniæ, Saxoniæque annales ex antiquiſſima Stirpe Saxonum Regum ortum, atque Avorum longo ordine, a Sigueardo Rege profectum eſſe teſtantur. *Joh. Tonſus in Vita Emmanuelis Philib. lib. 1. Vide Thomam Blancum in Epitome hiſt. regiæ Domus Sab. ſub initium lib. 1.*

Id juvenem aligerum ceciniſſe; hanc editam ad auras
Auctore incerto, perque oppida plurima ſenſim
Ingratam vocem, perque ora adiiſſe virorum.
Quæ maneant ſedes, quæ ſacrum mœnia Pignus,
Non certum: nomen ſilet urbis fama; decuſque
Tantum obſcura refert jam nunc, celebratque: futuram
Illam prole virum felicem, opibuſque ſuperbam,
Bello illam inſignem poſthac, partiſque tropæis,
Imperiiſque fore, & multis late inclytam in oris,
Exuviis poſtquam divinis aucta, Deique
Munere præclaro felix incedet; ovanſque
Excipiet populos omni e regione ruentes,
Certanteſque ſuos perſolvere Pignori honores.
Hinc ſedet alte animo, noctes quæ ſæpe, dieſque
Sollicitos multos habet, anxia cura; timeri
Hinc omnis rumor, ſuſpectaque gaudia haberi,
Atque hoûm, Superûmque Parens, ac Muneris auctor
Supplicibus votis merito per templa rogari,
Vanus ſit timor, & cœleſtia numine firmet
Ipſe ſuo monſtra, ac ſpe ne ludantur inani:
Haſque preces ſoliti cunctis iterare diebus,
Dum reputant memores divini Pignus amoris
Secum animo, & quoties ea triſtis fama recurſat.
At quis conſiliis, placitiſve obſtare Supremi
Numinis evaleat, cordi ſi certa voluntas
Jam ſedeat? Placuere piæ, ſed flectere mentem
Haud potuere preces: ventis dedit irrita vota
Efferri, Donumque ſuum tranſmiſit habendum
Taurinis tandem, & dilectæ tempora juſſit
Ire urbi meliora, decuſque adcreſcere genti.
Tempus erat, cœtus quum primum eſt auſa nefandos

Concelebrare ſuos, bellique adtollere ſignum
Trans juga ſumma furens, perque omnia celtica rura
Sæva manus, nomen cui dira audacia fecit,
Seditioque prius, mox & Superûmque, Deique
Contemtus (patribus fuit olim Hugnotica dicta,
Colluvie ex omni heu nimium! cito viribus aucta)
Fama eſt [1], tum ſolitum Turonum per tecta vagari
Nocturnum Lemurem, cui vulgo nomen Hugoni.
Hinc, quod ibi primum per amica ſilentia noctis,
Orgiaque inſtituit ſua prava, oblita priorum,
Induxitque novos ritus gens impia, dictam
Nomine de Lemuris: manſitque in ſæcula nomen.
Jamque animos tollens, & cædibus effera crebris,
Perque domos impune ruens, perque oppida, paſſim
Templaque miſcuerat flammis, ſimulacraque Divûm
Abripiens, aurumque omne, obtruncarat ad aras
Sacrificos multos, & limina ſancta cruore
Polluerat, vigileſque adytis extinxerat ignes.
Tantum ſeditio potuit ſuadere malorum.
Dux illi Peſtis, ſtygiis paullo ante tenebris
Excita Calvini verbis, cœcoque furore:
Quaſſabatque, vocans ad ſæva incendia, tædam
Sedibus infernis actam, lateque venenum

1 L'origine de ce nom eſt incertaine. Il y en a qui diſent qu'il prit naiſſance à Tours, & ils le tirent du nom de *Hugon*, parceque ces Novateurs faiſoient leurs aſſemblées nocturnes à la porte Hugon, ou parcequ'ils ne ſortoient que durant les tenebres, comme certain Lutin, ou eſprit nocturne qu'ils nomment le Roi Hugon, & lequel, ſelon les contes du peuple, court durant la nuit par les ruës de cette ville. *Sic Morerius in ſuo Lexico hiſtorico.*

Diffundens furibunda ſuum ſtimulabat amaris
Vocibus ad cædes animos jam ſponte paratos.
Quin &, repletis terrore, & ſanguine ſparſis
Gallorum campis, victrix, ſpoliiſque ſuperba
Allobrogum crudele minax jam templa parabat
Eruere, atque aras igni populare, domoſque,
Innocuoque acres, ut mos, a ſanguine pœnas
Poſcere; quum ſortem ætherea de ſede futuram
Commiſerans, pariterque timens urbique, ſacroque,
Quo felix dudum fuit ipſa, atque inclyta, Lino
Inſigni celeber pietate Arimathius Heros,
Egregiuſque animi in terris, fauſtuſque laboris,
Sic ſummum adloquitur Divûmque, hominumque Parentem:
O Pater, o nunquam verbis fruſtrate tuorum
Vota, nec incertis promiſſis, numine ſemper
Dicta tuo firmans, quo ſolem, ac ſidera torques,
Quo terras, tractuſque maris, nimboſque, notoſque,
Cernis ut e ſtygiis Peſtis prorupta latebris
Bacchaturque ferox per gallica rura, domoſque,
Pectoribuſque addens ſtimulos incendia tectis
Jactat, & inſanos ciet undique ſæva tumultus?
Undique jam miſeris, qui vix e mœnibus altis
Spes Regni, atque ſuas, ſeque & tua jura tuentur,
Hoſtibus inſultat furiali concita monſtro
Impia gens miſcens ferro omnia, & omnia flammis:
Undique fas verſum; pavor undique, & undique luctus.
Heu quot ſacræ ædes, ſimulacraque ſancta, nefandis
Ignibus abſumta oſtentant crudelia paſſim
Facta, & terribilis veſtigia dira furoris!
Quot campi innocuo pingueſve, rubrive cruore!
Jamque adeo Allobrogum (nam quis victricibus armis

Obſtare, atque aditum poterit prohibere ruenti
Innumeræ turbæ, quam Gallia (pro ſcelus!) omnis
Fracta animo metuat?) pagoſque, urbeſque propinquas
Agmina dira petent ferro, flammaſque furentes
Ilicet e templis, piceumque ad ſidera fumum
Attolli cernam, & cunctas conſidere in ignem
Marmoreas moles tibi ſacras, cunctaque dona,
Queis niteant aræ, in tumulos congeſta cremari.
Nec Linum interea, tua cura ac noſtra, periclo
Eripitur, tutiſque ſtatim tranſmittitur oris?
Siccine Taurinum ſedes promiſſa, tropæiſque
Clarior uſque novis ob Donum inſigne futura
Excipit urbs tandem? ſic cultu, & honore quotannis
Illic majori celebratur dius Amictus?
Sed quid ego hæc autem, rerum cui ſumma poteſtas,
Quique omnes nutu potis eſt cohibere nefandos
Mortales auſus, ſcelerataque pellere bella,
Commemoro? An quiſquam poterit tua flectere juſſa?
Conſiliis ne tuis pugnare, aut tendere contra?
Non ea vis uſquam, nec tanta potentia terris.
Haud equidem dubito tua magna immota manere
Dicta mihi, & grates perſolvam tempus in omne
Uſque tibi: unum oro: eois cito ſurgat ab undis
Exſpectata dies, qua ſe mirabile Donum
Taurino oſtendet, melioraque tempora ſecum
Adferet; atque cito niteant, pietate ſecunda,
Quas ſpondes, aræ, ſolidoque e marmore templa;
Nec liceat (precibus ſi fas hoc addere noſtris)
Allobrogum fines, tibi longo ex tempore amicos,
Infernæ Peſti penetrare, atrumque venenum
Spargere, perque domos tædas quaſſare minaces,

Infandoque agros paſſim miſcere tumultu:
Non liceat, mediis ſuperatis alpibus, oras
Subjectas, ſedemque novam, æternamque futura
Mœnia dilectæ Telæ, Natique cruore
Imbutæ, inſignique tui, pervadere ab imis
Prorupto tenebris, fœdantique omnia monſtro.
Sic ait, atque preces pia turba inſtaurat eaſdem
Et qui ſacrorum fuit olim Antiſtes [1], & ingens
Nomine, & ingenio, at pietate ingentior; & qui [2]
Ad Patris imperium Lodoicis, avitaque ſceptra
Integer accedens, nunquam inferiora ſecutus,
Egregiiſque auſis veteris decora inclyta ſtirpis
Strenuus æquavit; cœlique in ſede receptus
Æterna numerum ſuperorum altaribus auxit:
Tum rubra in chlamyde inſignes, & tempora ſerto
Purpureo, veræ dum pro pietatis amore
Projiciunt animas, cincti, palmaque decori
Mauritius generis decus, & tutela Sabaudi,

1 Maxime de Turin Evêque de cette Ville en Piémont vivoit dans le V. ſiécle. C' étoit un Prélat très-célébre pour ſa doctrine, & pour ſa piété. Les Homelies, qui nous reſtent de lui ſont des preuves de l'une & de l'autre . . . . Quoiqu' il en ſoit, le nom de ſaint Maxime de Turin eſt en grande véneration dans l'Egliſe, qui en fait mémoire le 25. jour de Juin. *Morerius. Vid. Baronium in Annal. & martir.*

2 Amé le Bienheureux, IX de ce nom, Duc de Savoie . . . . Sa piété fut admirée au voyage qu' il fit en France l'an 1468. . . . . il alla auſſi à pied depuis Turin, avec la Ducheſſe, viſiter le S. Suaire à Chambéry: il ama ſi fort les pauvres, qu'il les viſitoit ſouvent, & prenoit ſoin lui-même de leur fair donner les choſes néceſſaires pour ſoulager leur misère. *Th. Blancus lib. 4.*

Indignæque comes necis, hauſtorumque laborum,
Parque fide invicta, par relligione Secundus:
Quoſque animi egregios [1], cæcas dum voce tenebras
Pellere pectoribus paſſim nituntur, & audent
Civibus inviſum Chriſti venerabile nomen
Vulgare, ut meritum, ſimulacraque falſa Deorum
Arcenda e templis, penituſque abolenda docere;
Numinis æterni tendunt dum accendere amorem,
Pro dolor! ipſe ſuo mactari in litore vidit
Duria, qui fidos pridem, ignotoſque receſſus
Præbuerat lætus, violataque corpora telis
Innumeris, vitamque Dei pro laude paciſci:
Quique ipſis ſocius, ſed non & funere eodem
Extinctus, manibuſque feris elapſus ad alta
Mœnia, rauciſonis major quæ Duria lambit,
Latifluiſque undis, immanem ſanguine tinxit
Ipſe ſuo tumulum caput obtruncatus, & iiſdem
Supplicium immerita dedit inſons morte miniſtris,
Sic hominum æterni teſtans decora alta Magiſtri:
Cumque his Zachariæ Soboles, ſterilique ſenecta
Conjugis Heliſabes cretus, quo carior alter
Non fuit in terris illi, quem nuntius ore
Prodidit e Cœlo venturum, mœnia priſcis
Temporibus commiſſa ſibi cuſtoſque, paterque
Divûm, hominumque Patri oſtendebat, plurima laudans
Egregiamque urbem, natorum & facta piorum,
Tartareamque orans cunctis avertere peſtem
Auſoniis oris, ſedes & rurſus ad imas

1 *Vide Hyacinthum Ferrerium in vita Solutoris, Adventoris, & Octavii; & equitem Emmanuelem Theſaurum in hiſtoria Taurinenſi.*

Trudere, ubi genita, & ſuperas unde acta ſub auras.
Queis Sator æternus rerum, Divûmque Creator,
Atque hominum Omnipotens: curas ſecludite, dixit,
O mihi dilecti merito, mea gloria, nati;
Gaudia nec turbet, nullum quæ finiet ævum,
Veſtra metus: dabitur caris, quod poſcitis, oris;
Nec per eas ſtygiæ ſerpent contagia peſtis:
Neve ſinam Allobrogum petat armis oppida, & urbes;
Nec juga tranſcendens campis ſe immittat apertis,
Taurinoque paret veſtro bella impia victrix.
Tantum vicinis deſcendere ab alpibus auſa [1],
Montaniſque viris comitata, e robore duro
Progenita gente, & rapto per devia ſaxa

1 Sed vel ab Hugonotis clam ſollicitati (Angroniani), vel ultro cum eis vitæ, morumque ſimilitudine conſentientes, paullo poſt arma capiunt, & Villarium expugnant. Quare, auctis prioribus copiis novarum cohortium ſupplemento, rurſum mittitur Coſta, addito impigro, & forti viro Guidone Piovena cum tormentis campeſtribus, magnoque lectorum militum numero. Quibus conſpectis, Barbari, tametſi armorum genere, & reliquo adparatu belli, & rei militaris uſu longe inferiores; tamen homines aſperi, & montani numero confiſi inermis multitudinis, mulierum præſertim, & liberorum fletu excitati, quum in ejus diei pugna ſpem omnium fortunarum ſuarum poſuiſſent, fortiſſime prælium committunt. Diu acriter utrinque pugnatum eſt. Sed tandem pluribus hoſtibus cæſis, vulneratiſque, reliqui pelluntur: Villarium recipitur: Vallis Lucerna a Coſta in Emmanuelis Philiberti poteſtatem recipitur . . . . quare ſe nunquam imperata recuſaturos pollicentibus: præterea obſidibus datis, per Philippum Sabaudum, cujus mentionem ſupra fecimus, præteritorum delictorum gratiam Emmanuel fecit, eorumque ſatisfactionem, qui jam reſipiſcere videbantur, accepit: atque, revocato ad ſe exercitu, eos clementer in fidem recepit. *Joh. Tonſus lib.* 2.

Vi-

Digitized by Google

Vivere, perque antra aſſueta, & vaga luſtra ferarum
Vi ſibi, qua vallis, Lucerum de nomine dicta,
Magna patet, ſurguntque Preæ, validique Pratorni
Mœnia, tentabit, conans extrema, propinquos
Rumpere per campos callem, perque oppida cuncta,
Ac domitæ leges, moreſque imponere genti.
At non egregius bello, & qui ſanguine cretus,
O Amedee, tuo Emmanuel feret: ilicet armis
Obſiſtet monſtro, frangetque, ad prælia poſcens,
Audaces animos, cumulans ſic parta tropæa;
Præcipitique fuga ſua coget ad antra reverti.
Quin & ſubmittet cognato fortia Regi [1]
Sponte ſua auxilia, agminibuſque, opibuſque juvabit.
His meritis celebrem cuncta in ſua ſceptra remittam;
Lætaque Taurinum, innumeros regnanda per annos
Gente ſub Allobroge, accipiet, quam protinus ipſe
Aggeribus circum, multa & vi muniet, arcem
Educens, mirabile opus, quam ſurgere ad auras
Una æſtas cernet, mirabitur altera porro [2]

1 Erant in Gallia magni motus, & res admodum turbulentæ: Auctæ Hugonotis perditorum hominum manus: addita ſceleribus ſcelera, multiplicata maleficia .... At Emmanuel Philibertus pios, ac religioſos homines tutatus eſt: & expulſos clementer accepit, & ad ſe confugientes quacunque ratione potuit, benigne adjuvit: Regi vero laboranti celeriter ſubſidium miſit. Quare præliis multis fuſi hoſtes &c..... Regi Gallorum non defuit: in ſumma enim rei pecuniariæ difficultate mutuum poſcenti, quidquid cogere, & undique contrahere potuit...... curari juſſit. *Joh. Tonſus lib. 2.*

2 Arx, quæ Taurini conſtruebatur, menſibus circiter quindecim, quibus cœpta erat, perfecta eſt, latiore foſſa, & propugnaculis quinque firmiſſimis munita. *Tonſus ibid.*

Digitized by Google

Eductam penitus, firmo & munimine tutam.
Mox ubi & Helvetios contra, Galloſque propinquos [1],
Et Tanaro haud procul, & qua culmine lapſus ab alto
Pinguia ſeſſites ſecat arva, ac mœnia tangit
Cara mihi, & vobis, tibi quondam habitata, Amedee,
Belli alias moles, & propugnacula prudens
Struxerit, atque piis factis memorabile nomen
Auxerit extendens, cumulanſque altaria donis,
Textile tunc Pignus (neque me ſententia vertit)
Promiſſi, veſtrumque memor celſa arce jubebo
Allobrogum tandem Taurina ad mœnia ferri,
Æternumque illic, poſitis e marmore templis,
Tureque centum aras ipſi, & vigili igne calere.
At prius externas circum graſſata per oras
Peſtis acerba lues abſumet plurima letho
Corpora (qua populis dat jura, æquaque volentes
Frænat juſtitia Emmanuel, via nulla patebit)
Atque domos populans implebit luctibus urbes.
Tandem ſervatus mihi tendet ſolvere vota

1 Itaque Vercellis, quæ urbs Mediolanenſi ditioni proxima eſt, quum arcem exſtrui, & oppidum munitionibus firmari juſſiſſet; in Allobrogibus item in oppido Montemeliano, aliiſque duobus locis arces excitarentur, Architectos urgebat, mandabatque præfectis fabrûm, nequod omnino tempus ab opere, quoad perfectum eſſet, intermitti paterentur. Taurino vero quum primum proſpiciendum putaret, ea oppidi parte, quæ vergit ad occidentem ſolem, Pactioto Urbinate, architecto ea tempeſtate maxime inſigni, uſus nobiliſſimam, munitiſſimamque arcem ædificare inſtituit .... Ibi quum eſſet, ac forte de Montiſregalis oppidi ſitu diligentius ſecum cogitaret, arcem ei addendam cenſuit, illamque in editiore montis parte conſtrui mandavit. *Tonſus ibid.*

Pro patria, atque ſuis, quo non mihi carior alter,
Carolus Inſubres linquens, oſtroque decorus,
Sed pietate magis, qua denique ad aſtra feretur
Lucida templa petens, & quas ipſi adnuo ſedes,
Tectaque tunc primum, cunctos exinde per annos
Pignore divino præclara, ac læta futura,
Alpibus avectum Linum Taurina ſubibit;
Eximiuſque illic factis præſtantibus Heros,
Ipſi adolens tura, & memorans decora alta, docebit,
Corda ſimul veræ inflammans pietatis amore,
Et meritas grates mihi ſolvi tempus in omne,
Atque meo reddi, quos æquum, Muneri honores.
His dictis, cuncti mira dulcedine mentem
Undique perfuſi adſtantes uno ore dedere
Dulciſonos cantus, & laudibus omnia circum
Perſonuere novis, ſoliumque ter agmine læto
Luſtrarunt, benefacta Patris, benefacta canentes
Unigenæ Nati: ut tandem mortalibus ægris
Spem vitæ adtulerit cœlo demiſſus ab alto
Ipſe unus ſævos pro cunctis ſponte labores
Excipiens, & multa ferens indigna, necemque:
Ut bonus eruerit, perrupto carcere, ſanctos
Triſtibus e tenebris Patres, dederitque, ſubactis
Tartareis monſtris, ſedes habitare beatas,
Concilioque frui volucris ſine corpore gentis:
Utque fores, moriens, clauſi reſerarit olympi.
Tum Genitorem una alternis, & pectora ſacris
Urere qui ſolitus flammis, auraque potenti
Sufficere in pia facta animos, celebrantque, canuntque:
Ut maria, ac terras, & quæ regit, omnia verbo
Condiderit ſolo ſuperûmque, hominumque Creator,

Telluriſque ſinu varios exſurgere flores
Juſſerit, ac plantas ſimul omnes ſemine nullo,
Eque ſatis fruges, fœtuſque ex arbore quaque.
Tu Rex omnipotens: tibi ſol ac ſidera parent,
Cuncta Tibi maria, & terræ, nimbique, notique,
Quæque ſecant pennis liquidum aëra, cærula caudis
Quæ freta, quæ tellus animantum ſæcula paſcit.
Hæc inter rumore gravi, qui creber ad aures
Pervenit, atque hoſtis crudelia facta propinqui
Cuncta refert late, belli monumenta nefandi,
Turbati Allobroges, trepida & formidine capti
Fœmina, virque ſimul per limina ſancta frequentes
Pacem orant, onerantque piis paſſim æthera votis,
Et precibus tendunt, auſi confidere nullis
Humanis opibus, dextræ nec robore, & armis,
A templis, domibuſque ſuis avertere cædes,
Infandoſque ignes, diræ & contagia Peſtis,
Oreque quod fundit, fœdans late omnia, virus.
Arma timent ſine more hominum, ſine lege ruentum
In ſcelera, ut præceps furor urget, & impius ardor;
Conjugibuſque ſuis omnes, natiſque, ſibique,
Et domibus metuunt, divino at valdius uni
Lino admirando, quo non præſtantius orbe
Eſt toto quidquam, quo ſtat ſua jure, caditque
Spes major, metuunt, præſertim Munere ſacro
Dignati a ſuperis, ſuperûmque, hominumque Parente
Camberii cives. Subeunt ſimulacra Deorum
Omnibus in templis, qua ſe gens impia fudit,
Incenſa, & ſævæ cædes, & ſancta cruore
Limina polluta innocuo, priſciſque ſepulcris
Eruta ſacra oſſa, & cineres per compita ſparſi.

Digitized by Google

Nec fraudes, arteſque latent, auſuſque nefandi,
Cunctis queis ſociis inviſum, ipſique tremendum
Umbrarum Regi, dium, ac venerabile Pignus
Tentavere diu violare, ac vertere in uſus
Indignos, ipſumque adeo reſtinguere nomen:
Quidque furor poſſit, cæcis quem mentibus addunt
Vanaque relligio, rerumque cupido novarum,
Contemtuſque Dei, ſat notum: hinc omnia temni
Jura, nefas nihil in bellis hinc eſſe putari.
Ergo adeunt crebri tanto in diſcrimine ſancta
Limina cum pueris patres, cum matribus omnes
Innuptæ, invalidique ſenes vix membra trahentes,
Et veniam, pacemque orant: vox omnibus una hæc,
Præcipue qui ſacra colunt, adduntque frequentes
Turea grana focis: Rex o Divûmque, hominumque,
Et Pater omnipotens, meritos ſi ſemper honores
Rite tuo Dono ad ſacras perſolvimus aras;
Si pietas tibi grata patrum, miſerere, tuiſque
Da ſtygium bellum, ſævaſque evadere cædes,
Atque tuas aras crudelibus eripe flammis.
Reſpice commiſſam, qua nil eſt ſanctius uſquam;
Patribus hic noſtris Telam, Natique cruorem,
Quo rubuit picta, & noſtræ monumenta ſalutis
Omnia, quæ penitus ſe oſtendunt undique in ipſa.
Hanc tu cum tectis, Pater alme, opibuſque tuere,
Auſpice Te, nobis longinquo e littore vectam,
Aut ſolam certe, nolis ſi cætera, ſerva.
Tum nos æternas ſolvemus rite quotannis
Certatim grates, doniſque augebimus aras.
Sic ipſi, ut cuique & mens eſt, & copia fandi.
At ſtygii genii, qui dira per agmina multi

Tartareæ Peſtis comites, fidique miniſtri
Huc, illucque ruunt, tacitiſque hortatibus addunt
Aſſiduos ſtimulos ad ſæva incendia, & omnem,
Gallia quam deflet, cladem, cædeſque, minaſque,
Impia jamdudum ſe ducere trans juga ſperant
Allobrogum exitio poſſe arma, ac templa, domoſque,
Effigieſque omnes ſuperûm, & mirabile cœli
Donum, auguſtum, ingens, fruſtra tam ſæpe petitum
Vique, doliſque ſuis mixtim combuſta videre.
Jamque fera audaces præſumunt gaudia mente,
Sollicitantque animos, ac belli ſemina jactant
Vicinam in gentem, facta, atque infecta canentes;
Nilque intentatum ſceleriſve, dolive relinquunt.
Non tulit omnipotens rerum Sator impia ſigna
Camberii extolli ſub mœnia celſa, ſed urbem
Ipſe tuens ſuperis dilectam vim arcuit omnem
Finibus, infernæ & ſpes gentis, votaque luſit.
Nec tamen excluſit penitus. Vicina per alta
Culmina bacchari, perque antra, & inhoſpita ſaxa,
Subjectoſque in agros erumpere ſivit, & omnem
Angroniam vallem, ferroque laceſſere pugnam;
Scilicet ut tandem fracta armis diſceret ultra
Non penetrare datum per ſubdita rura Sabaudæ
Imperio gentis; domitoque ex hoſte triumphans
Emmanuel populos ſecura pace perenni [1],

1 Quum belli gerendi non deeſſent occaſiones, ipſeque tantum in militari nomen conſecutus eſſet, tantiſque armorum, & copiarum, & opum viribus niteretur; quietem tamen bello prætulit . . . . Quare populi ditionis Subalpinæ, Tranſalpinæque nullis bellorum incommodis affecti in ſumma tranquillitate annis triginta, & altero, Emmanuele Philiberto imperante, vitam traduxerunt. *Tonſus ibid.*

Digitized by Google

Virtutis linquens monumenta æterna, bearet.
Interea e ſtygiis, ubi centum littore in uno,
Senta per antra ſitu, formæ, ſqualentia miris
Monſtra modis, habitant morborum, ſedibus imis;
Febris ubi genus omne; ubi tabes quæque, lueſque;
Quæque artus lacerat, quæ viſcera torquet adurens
Hulceraque, ſcabiemque ferens vis tabida, ad auras
Erupit ſuperas, agros quæ ſæpe colonis
Sola ſuis viduat, ſociarum peſſima, peſtis:
Quaque patent ditis magna oſtia, ſtagnaque nullis
Pervia pennigeris, & averna hinc nomine dicta,
Liventique limo torpent, calamoque nigranti
Obducta, & juxta graveolentibus obſita nimbis
Uſque horret tellus, ſibi notis adſtitit arvis.
Hinc, atque inde ſedent comites luctuſque, fameſque,
Crinibus & ſciſſis rabies, accinctaque ferro
Mors, & ſævitiæ vultu horrida, tetraque forma.
Aruit herba ſtatim circum, tactæque veneno
Tartareo frondes; ſignumque nigrore dedere:
Quæque habitant raræ nemora alta propinqua volucres
Protinus adflatum ramis ſenſere cadentes;
Vixque procul paucæ pennis felicibus actæ
Exitio elabi puras potuere ſub auras.
Jamque ferox, furiiſque ſuis comitata patentes
Cœnomanos campos perlabitur, atque Tridenti
Succedit tectis. Horrent mortalia corda
Ipſius adventu, & fruſtra depellere tendunt,
Quod fert exitium crudelia funera acervans.
Acrius uſque furit dominans, & mœnia vaſtat.
Hinc maris Adriaci, vitians late undique cœlum,
Littora amœna petit, pagoſque, agroſque pererrat,

Et Dominæ rerum tandem, populiſque potenti [1],
Conſiliique opibus claræ, delabitur urbi.
Nec mora fit: virus per compita quæque, domoſque
Diffundit furibunda ſuum; celerique volatu,
Quæ ſecat arva lacu Benaco emiſſus, & errans
Mincius, excurrit, tenditque ad mœnia celſa,
Fatidicæ Manthus de nomine dicta, viaſque,
Tectaque funeſtis confeſtim luctibus implet.
Singula quid referam? Auſoniis bacchatur in oris
Huc, illucque ruens; & jam mœretque, gemitque
Amiſſos natos, quos funere ſuſtulit atro
Dira lues, multos vicina, feraxque Cremona:
Jam quæ Ticini alluitur fluvialibus undis,
Verbanoque lacu eductis, ac pinguia circum
Oſtentat rura inſubribus renovata colonis
Auſtriaco ſceptro læta, & late oppida frænans:
Quæque olim Regum ſedes celeberrima, & ante

1 Funeſtiſſimo ſi fece ſentire l'anno preſente (1576.) alla Lombardía per la peſte, che ſi dilatò, e fece ſtragi immenſe per varie Città. Cominciò eſſa nell' anno addietro ſpezialmente a ſpopolare la città di Trento, e a poco a poco andò ſerpeggiando per altre terre Lombarde. Il ſuo maggior furore ſi provò in queſti tempi . . . . Incredibile fu in Venezia la mortalità, nè minore in Padova, Vicenza, Verona, Milano, Pavía, e Genova. Mirabili prove della ſua incomparabil pietà, e carità diede nella città di Milano in sì lugubre occaſione il ſanto Cardinale, ed Arciveſcovo Carlo Borromeo. In Venezia per un tempo morirono ſettecento perſone per giorno. Terminato il male ſi trovò eſſer morti ventidue mila uomini, trentaſette mila donne, e circa undici mila fanciulli dell' uno, e dell' altro ſeſſo. *Ex Muratorio in Annalibus Italiæ.*

Con-

Condita, tangenti ſibi mœnia nomen ab ipſo
Flumine deduxit (Papiam ſermone minores
Dixerunt patrio:) tum quæ ſedet inclyta amœno
In colle aſſurgens tectiſque, opibuſque ſuperba,
Jani opus egregium, & Ligurum pulcherrima princeps.
Prætereaque aliæ, quas olim fama canebat,
Oppidaque, & pagi, & poſitæ ſub montibus arces.
Quis ſævam Italiæ ſtragem illam, & funera fando
Explicet, aut ſortem miſerandam luctibus æquet?
Principio pauci, primo & ſub flore juventæ,
Correpti; mox, annorum diſcrimine nullo,
Innumeri. Venis ſe miſcens igneus ollis,
Lethaliſque ardor, lymphis ſedarier hauſtis
Haud facilis, nulliſque potis depellier herbis,
Viſcera torquebat labiis, linguaque nigranti,
Atque cute adparens tactu arida, & ore, oculiſque.
Nulla quies ſtrato noctuve, diuve: cruorem
Faucibus haud pauci mittebant: pectus anhelum
Omnibus; inque nomas exibat denique multis
Atra lues, toto quæ ſparſæ corpore odorem
Reddebant tetrum, nec languida membra levabant;
Tuberibuſve nigris artus, papuliſve tumebant.
Heu quoties natis junxit matreſque, patreſque
Funus idem! Quoties conjux cum conjuge eodem
In ſtrato abſumtus morientia lumina clauſit;
Occubuitque una frater cum fratre peremtus!
Nil medicæ valuere artes, herbæque potentes,
Viſcera ubi invaſit torrens acheruſia tabes.
Quin & idem fatum tectis perſæpe ſub ipſis
Ægrorum rapuit, fruſtra dum juſſa parabant
Pharmaca, pæonios famulos, doctoſque medentes.

Nec minus in templis duri inclementia cœli
Sævit: haud paucis hic lethifer ingruit æſtus,
Liqueruntque animas, dum publica vota ſacerdos
Non exoratas pavitans iterabat ad aras,
Cœlicolûmque Patri turis reddebat honores.
Multi etiam viſi, fugerent dum patria tecta,
Funeſtoſque lares, diræ loca conſcia cladis,
Qua viduata domus, & juncti ſanguine ademti,
Antra per, & ſilvas, & ſicubi concava ſaxa,
Nequicquam errantes tabe illic corripi eadem;
Semianimeſque viis multi, dum tecta redibant
Ad ſua, quæſitum rebus ſolamen egenis,
Exhalaſſe animam infleti, nudaque jacentes
In ſilice: hinc tumulo mandata cadavera ſæpe
Plura uni, quæ lecta ſolo, dum funus abiret
Unius, & mixtim officio decorata ſupremo.
Quo ſe cumque acies oculorum flecteret iræ
Undique cernebat divinæ ſigna tremenda.
Squalebant mœrore domus, fora, templa, viæque,
Et nemora, & villæ curas diſpellere ſuetæ.
Luctus ubique, pavor, crudeli & falce metentis
Omne genus hominum triſtiſſima mortis imago.
Hæc facies rerum; quum ſervantiſſimus æqui,
Et fidei Procerum decus ingens, Carolus, oſtro
Spectandus ſacro, patriæ intra mœnia caræ,
Cui datus Antiſtes, verus ceu paſtor, obibat
Munia, quæ ſeri celebrabunt laude nepotes.
Ille ſuis metuens ſummo in diſcrimine vitæ,
Non ſibi, dum ſuperos precibus, votiſque fatigat,
Cœlicolûmque Patrem, cujus ſe devovet aris,
Tecta ſubit, vultu oſtendens, quo urgetur, amorem

Digitized by Google

Omnia lethifera languentum tabe, levatque
Adloquio cunctos, animiſque medetur, opemque
Ipſe ſuis manibus ſæpe, ac multo ære miniſtrat.
Tandem, ubi nil minui morbi exitiabilis iram
Humaniſque opibus ſenſit, precibuſque, repente
Ad templa indictis, quot habet urbs inclyta, cuncta,
Implevitque ſinum lacrymis, ut ſuetus, obortis,
Hiſque Patrem ſuperûm notas affuſus ad aras,
Atque manus tendens adfatus vocibus, inquit:
Summe Parens hominum, rerum oh eterna poteſtas,
Qui terras ditione premis, nutuque feroces
Diſpergis morbos, quum nil medicamina proſunt,
Nil humanæ artes; ipſoque a limine mortis,
Si placitum, revocas, hominum vitæ arbiter unus,
Juſta quidem eſt ira, & merito nos plectis acerbis
His pœnis, toties factis immanibus auſos
Temnere jura tua, & ſcelerum ſuccumbere labi;
At quis, ſi pergat metere atra corpora falce
Lurida mors, juveneſque una mactare, ſeneſque,
Et populare domos, quis tandem his mœnibus olim
Te colet, atque aris meritos imponet honores?
Non ne vides, ſævo quot jam ſibi funere raptos
Lugeat urbs quondam inſignis pietate, tibique
Dilecta ante alias; quot acervet funera bacchans
Uſque magis morbi, nulla medicabilis arte,
Vis fera; quodque vehat ſecum exitiale venenum
Cuncta ruens per tecta ferox, per templa, viaſque?
Si te nulla movent, pulla quæ in veſte gementes
Rite ſacerdotes fundunt pia vota, preceſque;
Si te non tangunt ultro commiſſa fatentum,
Seque incuſantum lacrymæ, juvenumque, ſenumque,

At pueros ſaltem, qui te genitoribus orbi
Subſidium, pacemque orant, teneraſque puellas
Reſpice, & innocuos miſerare, atque eripe letho.
Quamquam o! pro cunctis unum, Pater optime, macta
Me potius, veniamque aliis jam mitior, ut mos,
Jam ſcelerum oblitus tribuas: ſit dira per urbem
Hac bacchata tenus peſtis, perque oppida circum:
Jam repetat ſtygias, queis ſe rapide extulit, undas.
Quod te per Nati, quæ in terris ſuſtulit ultro,
Vulneraque, mortemque feram, fuſumque cruorem,
Quo rubuere flagra, & funes, & ſpinea ſerta,
Quo robur, vecteſque truces, inhumanaque tela,
Linteaque exanimem Herois reddentia formam;
Per tua ſacra oro, æternæ per præmia vitæ.
Tum, ſi forte tibi non hæc placet hoſtia: ſi tunc
Purpurea veſcar, quam tu das omnibus, aura;
Nec, quem ſponte rogo, patiere accedere finem,
Ipſe ego cum ſociis pedes alta ad culmina tendam,
Camberiique urbem [1], ſacro quæ munere felix
Divinam Telam, lethi monumenta nefandi,
Jam propriam ſervat; precibuſque, & turis honore

1 Per idem tempus (anno 1578.) Carolus Borromeus Cardinalis Taurinum pervenit. Viri hujus magna erat ſanctimoniæ, & integritatis opinio: adventus autem ejus hæc fuit cauſſa. Quum Mediolanenſis civitatis Archiepiſcopus eſſet, & biennio ſuperiore peſtilentia plurimos in ea regione conſumeret, ipſeque juvandis, & ſanandis ægris nulli loco deeſſet, neque tamen ii morbo levarentur, converſis ad Deum precibus, votum nuncupavit, ſi de locis illa peſtilentia abiret, ſaluſque populo redderetur, ſe trans alpes Camberium, ad inviſendam, venerandamque Chriſti Sindonem, primo quoque tempore profectuꝛum. *Joh. Tonſus in vita Emman. Philib. lib.* 2.

Textile Opus venerans tibi ſolvam denique votum
Pro patria, & memori tua condere pectore facta
Ereptam exitio, ac laudes celebrare docebo.
Tu modo da, Genitor, voti ut reus haud mihi deſim,
Servatuſque fidem ut ſervem; aut nunc dejice letho.
Deſierat; lacrymæque iterum perque ora volutæ,
Perque ſinum: hinc ferri vox hæc ſibi viſa per auras:
Parce metu: hinc ſtygio requies, præſenſque levamen
Accedet morbo, dabiturque rependere grates,
Quas optas, patria ſervata, ac omnibus una
Ereptis populis circum diſcrimine tanto.
Exitus inde metum minuit, docuitque ſalutem
Sperare, & fractis melius confidere rebus.
Namque ſtatim & tuto languentum vulnera cœpta
Tractari; & late vitio expurgarier auræ;
Morbida nec tabes per compita ſerpere, ut ante:
Jam medicina malo certa; atque hoc rarius omni
Sub tecto; inde Deo grates per cuncta ſolutæ
Templa, & votivis cumulata altaria donis.
Adrexere animos paſſim formidine dira
Exemti: at memori æternum ſub pectore manſit
Cura tamen, luctuſque adeo integrabat acerbos
Tectorum adſpectus, queis ſanguine proximi ademti
Tot ſibi, diſcrimen dum ſe evaſiſſe juvabat:
Hærebantque animis congeſta cadavera eumdem
In tumulum, & ſævæ triſtiſſima cladis imago.
Ac veluti, illæſa ad ſcopulos, fractaque carina
Oceano in magno, gereret dum prælia fronte
Adverſa Boreas, irentque ad ſidera fluctus,
Si quis forte levi fluitans ſuper ilice ab undis
Vix tandem evaſit, ſocioſque in gurgite vaſto,

Vi ſuperante ſali ſubmergi littore ab alto
Vidit, & ingemuit fruſtra implens queſtibus auras;
Mox, quoties remeans ſibi tutam conſpicit actam,
Dum ſuper ipſe ſua, memorem dulcedine mentem
Perfuſus, ſuperis grates perſolvit, acerbam
Deflet amicorum ſortem concuſſus; & inter
Lætitiam ingentem dolor ingens corde refervet.
Atque ea dum Latio clara urbs formidine tandem
Lætatur poſita, diræ contagia tabis
Depulſa, & cœli labem omnem, atrumque venenum;
Temperiemque ſuam membris, lætumque vigorem
Acceſſiſſe novum; quæ ſubjacet alpibus ora,
Quamque tenet ditione armis clariſſimus Heros,
Allobrogumque urbes, pars antiquiſſima regni,
Exitio immunes communi, ac tabe propinqua,
Jam ſuperis grates tendunt, jam ſolvere vota:
Laudibus ac reſonant, & tecta, & compita quæque
Interea clari divino ſanguine Lini,
Effigieque Dei impreſſa non artibus ullis
Humanis, ſed ea, quæ condidit omnia, dextra:
Hanc Telam egregiam, quoque eſt depicta, cruorem
Reſpexiſſe Patrem ſuperûm, ceu limina quondam,
Quum ſua Judæi celebrarunt orgia prima,
Sanguineis mactati agni quæ perlita guttis:
Hinc ſibi tutamen trepido in diſcrimine certum;
Finibus hinc peſtem, & virus furiale remotum
Omnibus eſſe ſuis; hinc ſtragem, & funera ſæva,
Quæ pars Italiæ tam magna, ſibique propinquæ
Flent urbes, flebuntque diu tam jure nepotes:
Hinc non nequicquam noctes vigilaſſe, dieſque
Delectos Proceres, queis fines cura tuendi

Mandata, atque luis prohibendi ſemina quæque.
Sic omnes paſſim: ſedet hæc ſententia menti
Omnibus, Allobrogum præſertim principe in urbe.
Tum memorant grati, quæ quondam vota periclis
Erepti ſummis genus alto a Sanguine Regum
Felicem ante aram, divini Pignoris almi
Cuſtodem', multi longinqua e ſede profecti
Solvere, & quæ dona pii memoranda tulere;
Atque hilares paſſim tollunt ad ſidera voces.
Nec tamen abſiſtunt precibus, nec pinguibus aræ
Panchæis donis recalent minus: omnibus idem
In templis cultus, eadem reverentia legum
In domibus, referunt ubi quiſque audita aliena
Vulnera, & exhauſtas miſerantur civibus urbes,
Oppidaque, & pagos, viduataque rura colonis.
Sic ubi decedit, vana ſpe luſus, ab urbe,
Quam trepida cinxit, muros crebro ariete pulſans,
Obſidione diu ferus hoſtis, & inclytus armis;
Luminaque ad tutas valido munimine turres
Ore ferox fugiens iterumque, iterumque retorquet;
Dum ſuperis grates longa formidine cives
Jam vacui ſolvunt, cumulantque altaria donis;
Dum fora quæque fremunt, & tecta, & compita plauſu,
Et reſerare juvat portas, deſertaque caſtra
Inſpectare prope, ac molimina cuncta notare,
Mœnia, præcipiti quæ vi labefacta, per artem
Solliciti reparant, ne rurſus, viribus auctis,
Forte animos ultro attollant, aditumque retentent
Agmina victa metu pridem, & felicius inſtent.
Clara prius tantæ cœlo data ſtragis ab alto
Signa ferunt monſtris, regio queis territa late

Taurina, & populi vicina per oppida cuncta;
Solem etenim, ſexta poſtquam ſurrexerat hora
Cancrum obiens, nigra primum ferrugine tinctum
Concuſſiſſe animos: mox & rubuiſſe propinquos
Aërios tractus lugubre, & protinus orbem
Conflatum ingentem triſtiſſima quæque minantem.
Sanguineus totum color hinc depinxerat, illinc
Igneus, & maculæ variabant undique fuſæ [1].
Hinc trepidum vulgus, matrumque improvida turba,
Haud impune unquam viſum dixere cometam.
Scilicet his monſtris rerumque, hominumque Repertor,
Quos ſervare bonus, tetraque e clade futura
Eripere optabat, prius omnes terruit, iram
Ut precibus, lacrymiſque piis ſuperare pararent,
Orantes veniam, meritaſque avertere pœnas.
Non aliter tonitru quandoque, igniqne coruſco,
Qui micat e media perſtringens lumina nube,
Agricolas pavidos monet alta ad limina ſacra
Tendere, ut inſtantes commiſta grandine nimbos
Supplice propulſent voce, arboribuſque, ſatiſque
Dum metuunt, imo ducant ſuſpiria corde,
Atque rogent, flentes ſua quiſque piacula, pacem.
Lætitiam ſed enim, mulcet quæ pectora paſſim,
Plurimaque exundat, cernunt licet omnia nondum
Tuta ſatis, nec adhuc vetus omnis cura receſſit,
Turbavere ſtatim vulgata in mœnibus altis
Camberii, & late Allobrogum per compita quæque,
Quæ dederat factis ingens, & fortibus auſis,
Emmanuel juſſa haud ulli exſpectata ſuorum.
Namque

1 *Vid. Eq. Ferrerium a Lavriano in hiſt. Taurinenſi par. 2. lib. 5.*

Digitized by Google

Namque ubi depulſam, ſuperûm pietate ſecunda,
Tartaream accepit labem clariſſimus Heros,
Sollicitoque metu vacuos campoſque, domoſque
Inſubria in tota; ſimul & ſuper æthera noti
Magnanimum votum, quo ſe ſe obſtrinxerat, unus
Pro cunctis orans, ſacrorum Antiſtitis almi;
Ergo (ſic ſecum) tot adire, ac ferre labores
Egregia pietate virum [1]; tantamque pedeſtrem
Ire viam patiar per inhoſpita, & horrida ſaxa,
Biſque juga alpina inſuetum tranſmittere greſſu?
Si ſedet hoc animo cœli venerabile Donum
Huc olim advehere, &, ſpes in quo maxima Regni
Nititur, ac generis, templumque, araſque dicare;
Cur non nunc potius, quod fert mihi corde voluntas,
Exequor auſpicibus ſuperis, ſedemque perennem
Hic ſtatuens Dono, minuo, quem haurire paratus
Sortem ultra, & vires, mihi junctus amore, laborem?
Dixerat; atque ſtatim ſua ferri principem ad urbem
Allobrogum mandata jubet, ſuperûmque Parentis
Munere præclarum, atque notis venerabile Pignus,
Conſilio æterno delecta ad mœnia tandem
Transferri, pandique viam melioribus annis

1 Quam rem ubi Dux Emmanuel Philibertus intellexit non modo excipiendi tanti viri, ſed etiam minuendi longi itineris, vel injecto ipſis Tranſalpinis populis ſummo ſpectandæ Sindonis deſiderio cogitationem ſuſcepit. Itaque quamprimum Camberio Taurinum advehi Sindonem paucis arbitris (quaſi aliud agens, uti ferunt tempora) demandat, comitante viro graviſſimo Ludovico Millieto Sabaudi Senatus ſummo Præſide, qui paullo ante ad fœdus Helveticum feriendum ſollemniter a Duce adſcitus fuerat. *Pingon. ibid.*

Digitized by Google

Nec mora Milletus, primos cui curia honores
Rectori meritos tribuit, quæ nuntius adfert,
Juſſa facit. Proceres bis ſenos deligit omni
Ex numero, civeſque alios; ſanctumque Senatum
Cogit, & Herois quæ ſint mandata ſabaudi
Admonet auguſto in cœtu: Taurina ſub alta
Mœnia præſtantem pietate, atavisque potentem
Adventare virum, ſerto ſacra tempora cinctum
Purpureo, pedibuſque iter abs inſubribus uſque
Ingreſſurum oris, vota ut communia ſolvat
Cœlicolûm Patri, divinaque Lintea adoret.
Hinc urbe in magna ſollemnia magna parari,
Indictamque diem, qua fas ſit cuique volenti
Admirabile Opus dextris felicibus alte
Explicitum luſtrare oculis, & corda tuendo
Paſcere, & innumeram omni ex regione profectam
Spectare interea turbam ſua dona ferentem.
Singula quid memorem? Superatis alpibus, ipſe
Paucis cum ſociis Monumentum inſigne, Deique
Auguſtum Munus tecta ad regalia ſiſtit.
Mœnibus haud longe, tauri de nomine dictis,
Planitie in magna, quam nunc venatica ſurgit
Regia Villa prope, & foribus domus alta ſuperbis,
Floricomique horti ingentes, & longa pateſcunt
Atria, & alipedum ſtabula alta hinc, indeque equorum,
Pagus amœnus erat (veteres dixere Lucentum;)
Nuncque loco nomen manet unum, haud gloria priſca.
Huc tunc Emmanuel, ut mos, conceſſerat, urbis
Effugiens ſtrepitus, animumque labore levabat
Nunc apro fera terga premens, indagine cinctis
Saltibus, excuſſæ nunc poſt veſtigia cervæ

Diſtricto enſe volans, & equos, comiteſque fatigans.
Ergo hic depoſitæ tecti in penetralibus altis
Divinæ Exuviæ: tum pompa indicta, & in urbem
Protinus invectæ, ſacraque in ſede locatæ. [1]
Principio campis chorus ingens ibat apertis
Veſte ſacerdotum in nivea longo ordine: quinque
Poſt hos Pontifices ſertoque, pedoque decori
Dio oneri ſubiere omnes, arcamque ferebant
Impoſitam tenſis (ceu quondam rite repoſtum
Qua fœdus, Divûm quod ſanxerat, atque hominum Rex,)
Purpureoque ſupra, docto quod dædala dextra
Pinxit acu, ducens aurum, velamine tectam.
Hinc, atque inde duo Proceres velaminis oras
Extremas demiſſi oculos, lætique tenebant.
Mox ipſe Emmanuel, clari & ſpes altera Regni
Filius, & juncti qui ſanguine, quique vetuſto
Præclari genere, & titulis, opibuſque potentes
Pone ſequebantur primores magna caterva;
Cætera dein turba innumera, atque ignobile vulgus.
Pennigerûm feſtiva cohors circumque, ſupraque,
Nulli viſa hominum gens æthere nata, volabat
Carminibus gaudens, &, qui ſe multus ad auras
Turicremo ex auro fumus tollebat: at imis
E tenebris orci, fœdaque e ſede repente
Emiſſi genii, pompæ queis gloria tantæ
Obſtabat ſtimulos vertens ſub pectore amaros,
Impatienſque iræ, ſcelerumque avidiſſima turba,
Inſanire procul, lateque ululare per agros.

1 In æde D. Laurentii primum; ac deinde in æde majori. *Vid. Pingonium ibid.*

Non etenim audebat (ſic, qui regit omnia nutu,
Cœlicolûm voluit Pater almus) tendere contra.
Tantum aſpectabat frendens; æſtuſque furebat
Interea irarum, & dolor imis oſſibus ardens.
Haud aliter media de nocte e culmine montis
Delapſus, ſtimulante fame, lupus acer, & ore,
Ex longo, ſiccus fremit alta ad ſepta, furitque
Balatum excipiens ovium, ſi forte canum vis
Arceat oblatrans vigil, & conatibus obſtans.
Jamque urbis porta, quæ ſe venientibus offert
Arctoos verſus, cœlum illætabile, tractus
Effuſæ ſtudio matres, puerique ruebant,
Fervebantque viæ. Certant occurrere pompæ,
Qui poſſunt, ſocioſque adeo prævertere curſu
Quiſque ſuos gaudent, ſeque incedentibus ultro
Immiſcent, iterantque preces, & carmina læta.
Multi ex aggeribus murorum: plurima ab ipſis
Pars tectis ſpectat; turris pars culmina ſcandit.
Nec minus interior vario decorata paratu
Urbs ſua teſtatur nova gaudia, ſacra ubi pompa
Procedit. Pendent variata aulæa figuris
Parietibus; pendent tabulæ per compita, & alta
Atria; flore viæ ſparſæ longo ordine lucent
Flammarum, reſonatque piis concentibus æther.
Atque hæc lætitiæ dum gens Taurina dat omnis
Signa ſuæ, ac muris venientes accipit altis
Urbibus e ſociis multos, oriſque remotis;
Dum celebrare parat ſollemnia juſſa, dieſque
Indictos, feſtaque ſacras jam fronde coronat
Paſſim ædes læta, atque abacis decora omnia promit,
Queſtibus interea magno perculſa dolore

Plurima Camberii pars replet tecta, viaſque;
Vixque poteſt quiſquam dictis depellere amicis
Triſtitiam ex animo, turbataque corda levare.
Namque ubi delubrum repetentes arce ſub alta
Adſueti cives Pignus venerabile abeſſe
Senſerunt ara, quæ maxima ſurgit, & arcam
Emotam clathris, peregreque, ut fama, relatam,
Indoluere omnes primum, gemituſque dedere:
Ceu quondam fontem celſa ſub rupe viator,
Quum ſitiens loca nota petit, ſi forte ſub ima
Viſcera deſcendit terræ cryſtallinus humor
Culmine dimanans ſubter, nactuſque meatum
Recluſum inferius cæco ſe tramite fudit
Longius excurrens, atque arida teſqua rigavit;
Dilapſum dolet; atque oculis obit omnia circum,
Sicubi rumpentem cernat: dein invida fata
Digrediens queritur, nec voci parcit, & iræ.
Mox ubi per totam rumor percrebuit urbem,
Tecta prius multi, & loca ſola implere querelis
Coepere; inde alios alii, ſententia menti
Quæ ſtet ſcitari, & ſcindi in contraria vulgus;
Spemque, metumque inter nuſquam conſiſtere poſſe.
Hi facilem votis, rerum cui ſumma poteſtas
Allobrogum, ſperant; nec ſpes fruſtrabitur, ajunt,
Emmanuel noſtras, quo non ſervantior æqui
Eſt alter Reges inter; nec vota, preceſque
Contemnet, pectus cui mite, animoſque merendo
Devincire adeo pronum; qui luminis auras
Hauſerit hic primas: nobiſque libenſque, volenſque
Jamdudum Lini cæleſtia dona remittet.
Pars memor haud pridem, poſita formidine belli,

Ipſius imperio Seſſitæ ex littore rurſus [1]
Pignus idem addebat patria ad penetralia miſſum
Auctaque eo dulcis communia gaudia pacis
Camberii, templiſque ſuum ſic redditum honorem.
At ſuperûm monitus, quos fama antiqua ferebat
Patribus eſſe datos, multorum pectora contra
Triſte per augurium ducebant: patriæ ab altis
Sedibus avectum ſolium, campoſque placere,
Quos rigat Eridanus, quos Duria findit, & arces
Illic educi, nova mœnia mœnibus addi;
Quis dubitet, generis quo ſpes, tutelaque Regni
Nititur; unde decus genti, mirabile Donum
Optari ſimul, & templi jam forte ſedere
Fixam animo molem, marmorque, aurumque parari,
Atque adyta, atque aras ipſi, ſedemque perennem?
Hæc erat, hæc olim felix urbs munere tanto
Jure futura, patrum ſi non prudentia vana,
Ajebant, & jam decoris manifeſta futuri
Signa videre licet; jam, quæ nova gloria cœlo
Attollet ſe ſe, & toto vulgabitur orbe
Hinc adeo adparet: cauſſamque, caputque doloris
Sponte ſua augebant dicenda, tacenda loquentes.
Sic ipſi, plauſu dum tecta, viæque fremebant
Taurina, atque fora implebat multa advena turba.
Jamque aderat pietate ingens, atque inclytus oris
Heſperiis, ſacro ſpectandus Carolus oſtro,

1 Poſteaquam autem, favente ſummo Numine, pax illuxit anno MDLIX., reſtitutuſque eſt Emmanuel, ducta Margarita a Francia Regum filia, ſorore, amita, matre vere regii Caroli Emmanuelis, Sindonem hanc Camberium reportari pie juſſit an. MDLXII. *Pingon. ibid.*

Quoſque viæ comites ſibi legerat ipſe futuræ
Erepta exitio, ac trepido diſcrimine in urbe.
Omnibus in dextra teres eſt, tornoque politum
Haſtile; atque hoc nituntur veſtigia: veſtis,
Qualis iter longum ingreſſis ſolet, imbre ubi multo
Haud pridem tumuere amnes, tabe oblita cœni.
Eminet ex oculis, mœſtoque modeſtia vultu:
Eminet inceſſu, & populum tenet undique tectis
Effuſum ad portas, totaque ex urbe ruentem.
Fama eſt hoſpitio, poſtquam patriæ alta reliquit
Mœnia cum ſociis excedens Inſuber Heros,
Tercato exceptum, (Trecas dixere priores)
Et prima ſub nocte domum ſubiiſſe paratam.
Cœtus ei, ſacris addictus ritibus, auſi
Temnere opes homines, & læti rebus egenis,
Quos Pater Aſſiſias quæſito vivere juſſit,
(Lignipedes fratres vulgus cognomine dicit)
Præbuerant moniti tecto ſub paupere ſedem.
Hic primum cœpta auguſti decora inclyta Lini
Laudibus, ut meritum, celebrari, ac vindice lingua,
Quas ſcelerum furiis agitata, ac Dite miniſtro,
Sparſerat haud pridem in Monumentum inſigne ſalutis
Impia gens, voces, infandaque ſcripta refelli.
Namque ubi pulſa fames comitum, menſæque remotæ,
Eſuriemque ſuam pomo, non amplius, uno,
Ut mos, placavit nulli pietate ſecundus,
Inclytus Antiſtes, decus unde, & gratia Dono,
Viſere quod tendunt, vario ſermone requirit,
Nunc hos, nunc illos poſcens, & pectora amore
Inflammans magis, atque magis: qui cultus habendus?
Qui tribuendus honos? Quæ ſit fiducia cuique?

Namque ſibi hanc legem, excedens, ſociiſque paratis
Dixerat ipſe ultro, parca ut convivia ſemper
Exciperet ſacris de rebus ſermo, nec unquam
Ipſum iter alternis precibus, votiſque vacaret.
Quiſque libens pandit, quæ ſtet ſententia menti
Conventu in medio; & Præſul ſublimis acerna
Sede ſedens comites tacita dulcedine lætus
Dicentes audit. Quin & data copia fandi
Hoſpitibus, coram qui ſtant longo ordine cuncti.
Quos inter fama ante alios inſignior omnes,
Ingenioque alacer, Patrum exemplaria ſancta
Haud ſegnis verſare manu, ſocioſque tueri
Cui cura, his, tacite cœtu plaudente ſuorum,
Vocibus adgreditur vultu ſubtriſtis, & inquit:
Te ne viam pedibus, Pater optime, carpere, iterque
Tendere tam longum, multis ut Pignus adores
Pro dolor! haud pridem violatum impune ſceleſtis
Hac, illac linguis? Nam quis convicia neſcit
Jactata, & forſan male cauto credita vulgo?
Tum memorat, fando quæ audivit plurima ferri
Commenta, & ſcriptis quæ prodita trans juga ſumma
Alpina, invaſit quibus impia pectora Erynnis
Tartarea, & mentem obduxit caligine denſa:
Non ope divina effigiem, & necis horrida ſigna [1]
Quæ Lino adparent impreſſa, Deique cruore,
Qui crudele luit, ſcelus ut commune piaret,

1 Ita fere Calvinus in Antidoto adverſus articulos facultatis Sorbonicæ, in admonitione de Reliquiis. Nec valde ſecus Samuel Baſnagius, opinionum perverſitate, atque impietate æque famoſus, in Annalibus ſuis politico-eccleſiaſticis de ſepultura Chriſti ad annum ejuſdem 33. *num.* 132.

Suppli-

Supplicium, morienſque fores patefecit Olympi,
Verum hominum dextra efficłam, ingenioque magiſtro:
Majora eſſe fide, quæ vulgo vera ferantur:
Iſacidum ritus, moreſque obſtare ſacrorum,
Qui calida primum, terræ condenda lavabant
Corpora, & exterſis dein ſordibus ipſa tegebant
Funereis vittis religata, aloëque liquenti
Perfuſa, atque aliis, mittunt quæ dona Sabæi;
Multaque præterea, vecors quæ audacia fudit.
Addit, & ipſa Patrum monumenta obſtare priorum,
Qui ſupereſſe negant potuiſſe in Sindone quidquam
Sanguinis effuſi divino e corpore, totum
Quum tumulo exſurgens rurſus revocarit in artus.
Infremuere omnes comites hinc, inde ſedentes
Pontificem juxta; & jam pro ſe quiſque parabant
Dicere, & abſentes nequicquam carpere verbis,
Præcipue Ignati de nomine dictus Adornus.
At ſic ipſe, manu non grata ſilentia cunctis
Indicens, orſus contraria dicta refellit
Purpureus Præſul: nimium mihi nota retractas
Vulnera, nec forſan fruſtra, cariſſime frater.
Et cuncta audivi; & merito dolor oſſibus arſit,
Quæ memoras ſcripta, ac multas vulgata per oras.
At quis miretur, qui pugnent, ſævaque ſacris
Bella gerant, dictis ſi inceſſant talibus? aut quem
Non animi expertem modo, vel rationis egentem,
Plus æquo moveant hoſtis convicia vana?
Nec fidei obſiſtunt noſtræ, quos reddere honores,
Morte obita, quondam hebræo de ſanguine creti
Conſuevere ſuis, rituſque in funere eorum
Servati; nec quæ Patres docuere priores.

Nempe ſtatim niveis ſævo de ſtipite vittis
Demiſſum Corpus divinum, ac ſanguine manans
Excepit munda, & manibus protenta piorum [1]
Hinc, atque inde hominum Sindon, frigenſque repente
Obtexit totum; ſonuitque ululatibus æther.
Hinc, ubi marmoreum Joſeph Arimathius ædes
Ante ſuas tumulum, nuper ſibi forte paratum,
Servabat vitæ incenſus melioris amore,
Protinus elatum funus miſerabile abivit
Flentum humeris ſociorum, & fœmineo comitatu:
Atque ibi, ſacrorum quæ mos, & jura jubebant,
Omnia, depoſita formidine, rite peracta.
Et miretur adhuc quiſquam, veſtigia certa
Infandi lethi obducto potuiſſe in Amictu
Sanguine ſuffundi? Verum & ſupereſſe negandum eſt;
Credere namque vetant Patres. At ſunt mihi contra
Oracla; idque docent romana e ſede ſuprema [2]
Reddita reſponſa: hæc veram, quam Lintea reddunt,
Effigiem Chriſti per cuncta extrema nefandis
Arbitriis hominum tracti, veroque cruore
Pictam declarant ſummo Dei amore miniſtro:

1 *Vide quæ adnotavimus in fine pag. 66. lib. 2.*

2 Ipſi gerunt, prout eorum Anteceſſores Sabaudiæ Duces geſſerunt, devotionis affectum maxime ob præclariſſimam Sindonem, in qua ipſe Dominus N. J. C. in monumento poſitus, involutus fuit, & quæ in quadam capſa argentea honorifice, & devote conſervatur, in qua (prout idem Xyſtus Prædeceſſor in quodam tractatu, quem compoſuit de ipſo Sanguine) adfirmet, quod ipſius Jeſu Chriſti verus ſanguis, & imago conſpiciantur. *Verba ſunt Julii II. P. M. in Diplomate* Romanus Pontifex *dato Romæ an.* 1506. VII. *Cal. Maii. Vide quæ jam adtulimus ex eodem Diplomate in lib. primo pag.* 18.

Hæc juſſere ideo Gentemque, Domumque Sabaudam
Munus ob eximium *felicem* jure vocari;
Nec dubitare ſinunt, quæ primum ſigna relicta,
Sanguineis maculis Textum diffuſa per omne,
Manſiſſe, & dio decus hinc adcreſcere Dono.
Non etenim, integrum ut Corpus, redivivaque ſancta
Membra forent, vitæ quum rurſus limina inivit,
Vel ſudor miſtus crudeli in morte, cruore,
Qui tot vulneribus fluxit, vel quæque minuta
Pars hujus revocanda fuit veſtigia ſignans
Miranda in Lino, ut lethi monumenta nefandi,
Quod placitum eſt Patri, cui tellus paret, & æther,
Impreſſa exſtarent, venturaque ſecla docerent.
Hinc adeo carum ſuperis, ſuperûmque Parenti
Divinum Pignus, quo non auguſtius ullum
Eſt uſquam: hinc mediis terraque, marique, periclis
Perſæpe ereptum: nec, quam manus impia ferro
Intulit, in geminas optans diſcindere partes,
Vis nocuit, ipſa (dictu mirabile!) dextra
Multata, ut notum, ſubitumque trahente rigorem;
Nec nocuere undæ veſtigia ſacra paratæ
Abſtergere, homini offuſa caligine cæca.
Quin vires flammæ (fama eſt vulgata, recenſque;
Et teſtes veſtro dicti de nomine, fratres)
Dedidicere ſuas. Quem o! haud meminiſſe juvabit,
Dum pietas vigeat, dum ſtent altaria templis,
Quod nos ſub primis omnes audivimus annis [1];
Quod vidit mira mentem dulcedine capta,

1 Annus erat ab illo celebri incendio quadrageſimus ſextus, quum D. Carolus venerandæ Sindonis cauſſa Taurinum venit.

Munere divino felix, urbs inclyta factum:
Nota loquor vobis, & quæ mirabitur omnis
Ætas ventura, & noſtri ſtupuere parentes.
Ingruerat ſacris, queis Sindon condita, tectis
Ignis atrox (caſu ne oblatus, an hoſtis iniqui
Nocturna dextra? incertum:) & jam victor ad uſque
Sidera volvebat fumumque, atraſque favillas,
Omnia depaſcens decora alta, aurumque repoſtum,
Effigieſque ſacras, veſteſque, araſque nitentes.
Jam nihil intactum: rerum non amplius ulla
Spes animis, aurumque ſolo, argentumque liqueſcens
Jam fluit: hæc trepidis, qui ſæva incendia paſſim
Proſpectant, tantum vox civibus omnibus una:
Adſis o! placiduſque juves, ſi quid pia poſſunt
Vota tuæ gentis, ſi quid lacrymæque, preceſque;
Et Donum ipſe tuum nobis, Pater optime, ſerva.
Nec mora; fumum inter, medioſque animoſa per ignes
Parva manus ruit; &, dictu mirabile, amoris
Magnum Opus ereptum flammis ſtridentibus effert;
Ac populo illæſum, duri ſolatia luctus,
Oſtendit, menteſque hilarat ſua gaudia teſtans.
Nonne ſatis vera hæc cæleſtia monſtra refutant
Inſanorum hominum dicta, & quæ ſomnia fingunt?
Non ſatis illa, omnem quibus ante adrexerat oram
Omnipotens Genitor ſortem miſeratus acerbam [1]

1 Sed incredibile memoratu eſt, quanta mortales ſint beneficia conſecuti, qui mentes ad cœlum erigentes, & Linteum hoc pie venerati, atque ejus uſum, & uſus cauſſas, & fructum meditantes, Dei miſericordiam ſummis precibus ſuppliciter imploraruut. Plurimi ſane cæci, ſurdi, claudi, elingues de

Multorum, aut vitæ eripiens diſcrimine ſummo,
Dum memores recolunt Lini venerabile Donum,
Aut revocans ægris vires, lætoſque remittens,
Sive oculis capti, clauſis ſive auribus orti,
Seu claudi, aut membra arentes ad limina ſacra
Starent auxilium orantes, pacemque rogarent?
Nam quid ego enumerem, quæ ſunt notiſſima fama?
Quare acuant illi, ut libet, in convicia linguam;
Ut libet hinc longe, quando hinc obſtare poteſtas
Nulla datur, jactent, quæ nos commenta vocamus.
Vos, quibus immotum menti ſedet alta vereri
Juſſa Dei, &, ſedes quæ fallere neſcia tradit,
Securis haurire animis, ac vera fateri,
Vos mirabile opus ſuperûm, mirabile Donum,
Effigieque Dei inſigne, exceptoque cruore;
Vos erebi, & mortis victæ, noſtræque ſalutis
Certum, auguſtum, ingens Monumentum, ubi facta tuendi
Copia, certatim colite, & celebrate faventes;
Vitaque dum maneat, dictis extendite famam.
Hæc ille, & ſocii adſenſu, totuſque probavit
Omnia conventus pendens dicentis ab ore;
Exarſitque animo cunctis ſacra Lintea coram
Spectandi ſtudium, & meritos perſolvere honores.
Hinc data non longæ pars noctis cætera ſomno,
Atque iter incœptum ſummo dein mane peractum;

valetudine, quæ optabant, ac poſtulabant, impetrarunt. Innumerabiles item aliis morbis graviſſimis, diuturnis, periculoſis, mortiferis, deſperatis laborantes, e veſtigio ad ſanitatem redierunt, ac priſtinas vires receperunt. *Joh. Tonſus ut ſup.*

Digitized by Google

Nec tenuit magnus, vel terruit imber euntes. [1]
Quid memorem, quæ turba hominum ſub veſpere primo
Tercato effuſa, & venientibus obvia facta?
Ibant Primores cuncti manus optima, & omnes
Inde ſacerdotes, & qui hoſpita tecta pararant
Dejectique oculos bini, inceſſuque decori;
Tum pueri ante ædes multi, innuptæque puellæ,
Atque ſinu matres ſua pignora cara ferentes;
Lumina præterea e foribus, celſiſque fenœſtris
Plurima vincebant noctem, tenebraſque ruentes.
Sic exſpectatus muris, quos deinde ſubivit,
Succeſſit cunctis, Taurinaque mœnia venit.
Vos o gens felix, volucres ſine corpore Mentes,
Quæ Divûm juxta veſtris nunc jure beatis
Sedibus acceptum, quum primum ei copia Lini
Spectandi, ſociiſque data, & vaga lumina in illo
Fixiſtis tacita captæ dulcedine, & ingens
Spectaſtis una Monumentum inſigne ſalutis,
Pandite nunc, quanto ſimul ipſe flagrarit amore
Tam mirabile Opus venerans, quantuſque ſub ima
Ingruerit ſimul oſſa dolor veneranda tuenti
Signa necis ſævæ, atque oculos per cuncta ferenti.
Obſtupuit; lacrymiſque genæ maduere profuſis;
Hærentique animo toto vox defuit ipſa;
Atque hæc vix tandem ſecum: datur ergo tueri

1 Poſtridie, quum in templo primario, quo populi magnus concurſus factus erat, Miſſæ ſacrum feciſſet, ſanctamque Euchariſtiam vici Primariis adminiſtraſſet, & ſi magnus imber coortus erat, tamen viam ingreſſi Novariam, millia paſſuum ex eo loco quinque, iter convertimus. *Ex epiſt. Franciſci Adornii de peregrinatione D. Caroli a Joh. Antonio Guarnerio latine reddita.*

Ora Dei, ac lethi certiſſima ſigna nefandi?
Quæque prius nudum excepit, diraque refixum
Arhore divinum Corpus, diumque cruorem
Innumeris plagis, ſciſſoque e pectore fuſum,
Sudoremque atrum exterſit, juſtiſſima cura
Cœlicolûm in terris Sindon; quæ rite cruenta
Membra tegens fovit, merito, & decoravit honore,
Hic ego nunc cerno, & Pignus venerabile adoro?
Salve o ſpes hominum certa, & fidiſſima, Patris
Æterni donum, Natique inſigne Tropæum,
Terrarumque decus, & victi terror averni.
Nec minus & ſocii commoti: protinus idem
Ingruit oſſa petens ſacer horror: faucibus hæret
Vox, oculique hærent obtutu; iterumque, iterumque
Spectantes fama ſemper majora tuentur,
Aut vidiſſe putant taciti, ardeſcuntque tuendo;
Uberibuſque rigant lacrymis ſimul ora, ſinumque.
Verum ubi ſucceſſit, templi de limine tandem
Digreſſus, tecti ingentis penetralibus hoſpes
Purpureus Præſul, ſimul & Natumque, Patremque
Queis cuncti Allobroges, queis Regia paret, adivit,
Dum faciles iſti verbis gratantur amicis
Ipſius adventum, & duros miſeratur uterque,
Quos iter ingrediens voluit perferre, labores;
Dum Proceres circum ſua cuncti gaudia produnt
Et voce, & vultu ſic protinus incipit ille:
Et fateor durum, Regum ſate ſanguine, nobis
Hoc iter inſuetis; & quod compendia tanta
Imperio mihi facta tuo, meminiſſe juvabit,
Dum memor ipſe mei, & grates tibi mente rependam:
At neque me pedibus, vel terque, quaterque pigeret

Camberium petere, atque alpes ſuperare; libenſque
Ultra etiam ignotas peragrarem protinus oras,
Optati ut compos, viſi miracula Lini
Rurſus adorarem, & mea ſolvere vota liceret.
O vere æterni monimentum, ac pignus amoris
Admirabile Opus ſuperûm, ſtygiiſque tremendum!
Ut vidi, ut ſtupui! ut me vis perculit ingens
Oſſibus inſinuans, & cor molleſcere cogens!
Nil ibi non ſanctum: produnt veſtigia ſe ſe
Sanguinis excepti, diraque in morte relicti:
Hauſtaque ſe prodit divino e corpore virtus.
O merito felix (certe haud ſine numine) dicta
Stirps veſtra, Emmanuel, tantum cui pignus habendum
Ipſe Deus dederit ſua monſtris omina firmans!
Dein memorat Lini decora inclyta ſingula, & omnes
Perſequitur breviter, tollitque ad ſidera laudes:
Texerit ut nudum, extremo & decorärit honore
Divinum Corpus divino Sanguine manans:
Ut referat ſimul, & victa de morte triumphum,
Et certa ipſius mortis, venerandaque ſigna:
Ut merito ſuperis carum, ſuperûmque Parenti,
Et vim tanti ævi, & caſus ſuperaverit omnes
Mirum Opus haud unquam, factiſve, auſiſve nefandis
Pollutum indigne, cunctis licet artibus uſus.
Sæpe ſuis ſtygius bellum intentaverit hoſtis
Omnia permiſcens, & ſemet in omnia verſans.
Atque hic Emmanuel, magnam cui gaudia mentem
Pertentant dium luſtranti frontis honorem,
Et pia facta viri, famamque decuſque putanti
Secum animo: tua certe inquit, veriſſima dicta,
Carole, quæque ſacro tribuis præconia Lino

Non

Non augent nobis (neque enim fas creſcere) amorem
Pignoris auguſti, quo nil eſt carius uſquam ;
Accendere tamen, velut aura accenditur ignis.
Jamque adeo cœli ſumma indulgentia major ,
Unde Patres Donum primi retulere , videtur
Ipſa mihi, Heſperias quod te pietate per oras
Uſque adeo clarum , ſub tectis, illius ergo ,
His noſtris tandem accipio, & datur ora tueri,
Et licet optatas audire hic denique voces.
Ergo age , & hoſpitio , cui non dilectior alter
Succeſſit , noſtro indulge ; ſuperûmque Parenti ,
Quas mihi non debes , mecum communiter ultro
Munus ob acceptum , grates perſolvere tende;
Tuque modum orandi , & ſollemnia præcipe vota.
Dixerat ; atque eadem , Regni ſpes altera , Natus ,
Cui mens ante annos , animuſque , & cura virilis,
Conſiliumque ævo majus , Proceresque fremebant
Adſenſu vario , & mira dulcedine læti.
Tum, queis haud pridem , proavita ad ſceptra revertens
Externo e ſolio , magnus ſucceſſerat Hoſpes [1] ,
Tecta ſubit Præſul, procerum comitante caterva.
Mirantur ſocii luxum , inſignemque paratum ,
Liminibuſque aurum, ſtratiſque, tholiſque renidens :

1 Ibi quum preces feciſſet, ad Regiæ Sacellum , ubi ſacrum Linteum ſitum erat , profectus eſt. Ibi itidem adhibitis precibus, ad Hoſpitium iter convertit . Id non in Regia , ſed in domicilio Regiæ proximo magnificentiſſime paratum erat. Elegantibus iiſdem ſtragulis lectos ſtratos fuiſſe , eadem ſumtuoſa ſupellectili , iiſdem pretioſis aulæis domicilium inſtructum ferunt, quum Henricus Galliæ Rex e Polonia profectus a Duce hoſpitio receptus eſt . *Ex epiſt. ſup. laudata.*

Mirantur tabulas, atque ærea ſigna, Patrumque
Inclyta facta in eis, oſtrumque, & marmor, eburque.
At magna interea per compita quæque, ſacraſque
Hac, illacque ædes, hominis fama excita, turba
Externis oris, ſtudioque accenſa videndi
Exuvias ſacras, mortique, ereboque tremendas,
Undabat, dictamque diem ſollemnibus ante
Jam ſol eois ſurgens evexerat undis.
Non ullum tantam templumve, forumve coactam
Vim poterat totam complecti: namque remotis
Urbibus, ac pagis haud paucos traxerat idem
Ardor, & innumeros, juveneſque, ſeneſque propinquis.
Nunquam alias urbem concurſu accedere tanto
Viſi homines; nunquam fora fervere viſa, viæque
Uſque adeo, & turbæ minus ampla capacia tecta.
Undique complebant vicos e ſede profecti
Diverſa indigenis miſti matreſque, virique,
Et pueri, ac juvenes, atque annis tardior ætas.
Nec tantum miſere ſuos, quæ mœnia ſurgunt
Planitie in magna, cui nomen ab Alpibus: ingens
Turba etiam venit celſis de montibus, unde
Eridanus manat; ruit unde, atque impete magno
Volvit aquas Stura, & qua Duria uterque, situſque
Seſſites primum, & placido mox flumine labens.
Multi præterea Inſubres veſtigia Divi
Preſſere Herois linquentes patria tecta;
Et Ligures multi Tanari de littore utroque
Corripuere viam, turbamque auxere ruentem:
Cumque his Allobroges non pauci e rupibus altis
Delapſi, & qui habitant trans culmina graja Salaſſi,
Fœdereque Helvetii auſpiciis felicibus ante

Perpetuo junĉti, ac veræ pietatis amici. [1]
Tantum relligio, tantum cœleſte tuendi
Auguſtum Pignus potuit ſuccenſa cupido.
Ergo procul templis, procul ipſis ædibus, intra
Mœnia celſa tamen, ſatis ingens æquor, & amplum
Deleĉtum, quo turba fluat ſimul omnis, & alte
Explicitam venerans pia paſcat lumina Telam.
Eſt arcem contra, portaſque, ærataque clauſtra
Magnanimi Herois, pauco qui tempore totum
Surgere juſſit opus, clarum ſervantia nomen,
Planities; illamque oriens ſol lumine primo
Speĉtat, & occiduis luſtrat dum tinguier undis
Jam paret accedens, rutilumque immergere currum.
Plurima nunc ulmus pulcro ordine conſita adumbrat
Hic alte aſſurgens, & ad æthera brachia tendens
Libera, complicitis illic juxtaque, ſupraque
Defendens ramis æſtivi temporis horas,
Et placidam præbens frigus captantibus umbram.
Turba frequens ſubter multas hinc, inde patentes
Itque, reditque vias, quas curva umbracula velant;
Et pueri ludunt miſti, innuptaſque puellas
Deducunt matres, ac ſervant pone ſequentes.
Veſtibus in variis juvenes vaga lumina torquent
Huc, illuc; cunĉtique animis ſolatia quærunt.
Nec non & bigis multæ, multæque quadrigis
Matronæ inveĉtæ, gemmiſque, auroque nitentes
Vulgi oculos fleĉtunt primo ſub veſpere, & omnes
Ordine circuitus luſtrant, flexuſque viarum,
Perque ſalutantes gaudent incedere cives.
Vernant præterea, ridentque hinc, indeque prata

1 De hoc fœdere mentio faĉta eſt ſuperius *pag. XXXIII.*

Tramite qua multo nunc finditur. At nec amœnæ
Nexilium tunc ramorum, implicitæque coronæ
Callibus obductæ; nec frondea culmina cœlo
Tollebant ſe ſe: nudus locus arbore ab omni,
Ruderaque hac, illac ſtrepitu exæquata rotarum,
Informeſque trabes, ſaxis avulſaque ſaxa,
Cæteraque exhauſtorum operum reſtantia ſigna.
Huc omnis per tecta fluens, per templa, viaſque
Præconum admonitu concedere turba jubetur.
Nec mora: continuo ruit omni ex parte, & inundat
Juſſum æquor; totumque brevi late undique fervet.
Quiſque ſtudet propius primis ſuccedere; & iſti,
Quem tenuere, locum tendunt ſervare parati:
Jamque hos, jamque illos ſpatio movet impetus ipſe;
Extremoſque inter media de ſede feruntur
Hi pedibus fruſtra obluctari, & corpore toto;
Ulteriuſque illi delati hærere ſecundis
Incipiunt, ſocioſque dolent procul inde relictos.
Qualis ubi arctois ſtridens erupit ab oris,
Incubuitque mari Boreas, quum forte reflaret
Jam Notus, hic undas hinc pellit, & ille viciſſim
Adverſa regione ruens ſubito inde repellit;
Nec mora, nec requies; tumidumque exæſtuat æquor;
Jamque hinc, jamque illinc refluens cava littora plangit.
Stant alii media in cavea, quos ultima habebat
Haud pridem, & facta vi gaudent, oraque tollunt,
Si forte oſtendat jam ſe ſe e mœnibus altis
Pompa exſpectata, & linguis, animiſque favere
Præcipiat tacite prolatum Pignus ab arca.
Hi tumulum capiunt nacti; trabs ſuſtinet illos,
Ruderibuſque alii ſidunt, atque edito acervo.

Digitized by Google

Obſedere alii turres, ac tecta domorum;
Innumeramque infra turbam fluitare tuentur.
Quam vellent multi, queis vivida pectore virtus,
Et virides anni, glabrenti ex æquore juxta
Brachia protendens cœlo ſe tolleret arbor!
Scilicet hæc ipſis, ſtatio gratiſſima, tutas
Præberet ſedes; nec eos ſuperare pigeret
Adſcenſu truncum, aut quemquam labor iſte gravaret.
Sed jam ſecreta, qua pervius uſus ad arcem
Majori ex æde, ac regum penetralibus altis,
Occultaque via incedens longo ordine celſis
Aggeribus murorum adparet ſpectabilis ore
Pontificum, Procerumque cohors, ſpectabilis oſtro.
Hinc, qui juſtitia cunctam oram, & legibus æquis
Temperat, Emmanuel cum Nato, & ſanguine junctis.
Olli purpureus, mos ut ſollemnis, amictus
Membra tegit (trabeam veteres dixere), caputque
Cingit apex gemmis diſtinctus, & aureus implet
Scipio, geſtamen Regum venerabile, dextram:
Tum, quibus ipſe dedit, ſummi faſtigia honoris,
Tortile, & e collo deſcendens pectus ad uſque
Aurum geſtare, & primas ſibi poſcere ſedes.
Cognomen torques, qua ſplendent, aurea fecit,
Et Mariæ delatus honos abs æthere celſo.
Inde ſacro dicti Divûm de nomine & ipſi
Egregii pietate viri, ac præſtantibus auſis,
Aurea queis pectus crux ornat, ſerica ad imas
It veſtis plantas demiſſa, ac murice tincta,
Ordinis eximium decus, inſigniſque galerus.
Poſt alii cives opibuſque, ataviſque potentes;
Cereaque in dextris ardent funalia cunctis.

Quos omnes inter gemmis, nitidoque decori
Pontifices auro [1], magnum qua pegma ſub auras
Tollitur aulæis, & feſta fronde revinctum,
Textile Donum ingens, victa & de morte tropæum
Denique protendunt manibus, ac terque, quaterque
Hinc, atque inde ferunt taciti, & fletu ora madentes.
Tum vero commoti animi, manifeſtaque ſigna
Hic, illicque data ingentis, qui pectore in imo
Exarſit ſubito aſpectu, perque oſſa, doloris.
Protinus in lacrymas ſe ſe pars plurima fundit,
Alternoſque ciet gemitus: ſibi pectora palmis
Pars tundit, veniamque orat ſua mente revolvens
Commiſſa: hi lethi, muſſant, heu cauſſa nefandi
Nos fuimus tibi Chriſte Pater, monimentaque ſacra
Luminibuſque obeunt flentes, digitoque propinquis
Oſtendunt ſociis; illi, ſua pignora, parvos
Attollunt ab humo natos, impreſſaque Lino
Singula membra monent ſpectare, ipſoque cruore
Picta docent, plagis, & ſciſſo e pectore fuſo.
En, ait ille, caput: ſpinis & vulnera facta
Se vidiſſe ſimul dicit; ſibi namque videtur.

1 Eadem (SinJon) poſtridie frequenti populo ad Arcis ampliſſimam aream magno cum apparatu bis propoſita eſt. Hi, qui Præſulum advenerant munus illud aſſidue peregerunt: ipſe Borromeus Cardinalis; Guido Ferrerius ſanctorum Viti, & Modeſti Cardinalis Vercellenſis; Octavius Sanctacrucius Epiſcop. Cervienſis Nuncius Apoſt.; Hieronymus Ruverius Archiepiſc. Taurinen.; Joſephus Parpalia Archiepiſc Tarentaſien. Ludovicus Grimaldus Ventienſis Epiſc. Hippolytus Rubeus Papienſis Epiſc.; Joh. Franciſcus Bonhomius Vercellenſis Epiſc.; Cæſar Gromius Auguſtenſis Epiſc.; Cæſar Ferrerius Savonenſis Epiſc. Joh. Maria Taparellus Salutienſis Epiſ. *Pingon. ibid.*

Cernis quos fodit, fixitque in ſtipite, ſævo
Impia gens ferro invadens, palmaſque, pedeſque?
En latus, hi repetunt, horenda cuſpide apertum.
Nec ſpectaſſe ſemel ſatis eſt: juvat uſque in eodem
Hærere obtutu, gaudentque, dolentque viciſſim.
Tum leve per caveam murmur diffunditur omnem,
Fletibus et voces miſtæ, gemituſque dolentum
Hac, illac crebri, & ſuſpiria pectore ducta.
Sic nemore in magno quandoque immurmurat auſter,
Lenibus & flabris ſegetes fluitantibus undis
Horreſcunt ſimiles; pulviſque it multus ad auras.
Mœnibus at demum excedunt, ac pulpita linquunt
Pontifices, releguntque omnes inferne patentem
Occultum callem, referuntque ad limina ſacra,
Dulce piis humeris onus, arcam, & in æde reponunt:
Jamque ingens media templi teſtudine moles
Surgebat tabulis, tigniſque exſtructa: nitebant
Multiplices circum, gemmiſque, auroque coruſci
Jam lychni; varioſque arte exæquaverat ordo:
Ara ſupra, atque aram pendens laquearibus altis
Plurima vis oſtri velabat; plurima pinguis
Vis ceræ argento, nitidoque ardebat ab auro;
Et phrygii totam ambibant, pictique tapetes.
Ergo hac mole ſuper populis ſpectanda locata
Arca, & grana focis plena data turea acerra.
Hinc ſubito templum concurſu fervere viſum
Ingenti, matrumque chori, juvenumque, ſenumque
Rite adhibere preces, Divoſque in vota vocare.
Namque quater denas noctuque, diuque per horas,
Præſulis admonitu externa de ſede profecti,
Undanti turbæ patuerunt limina ſacra;

Digitized by Google

Orandique modus cunctis indictus; & omnis
Egregia pietate palam, doniſque ſub aram
Certatim poſitis, ut mos, excelluit ordo.
Hinc, & carminibus, (pueri innuptæque puellæ
Alternis circum cecinere), & laudibus alte
Sublatum Donum Divûmque, hominumque Parentis,
Perſonuitque ædes late, & vicinia tota;
Hinc opifex celebratus amor, fractique nefandi
Auſus tartarei, ſuperûm & cuſtodia vindex.
O fauſta! o latii decoris celeberrima ſedes
Urbs antiqua, potens, cui Duria paret, & alto
Culmine delabens Padus, ac tibi mœnia lambens!
Res o jure tuis memori ſub pectore natis
Servanda æternum, faſtiſque, atque ære perenni!
Romulidum Patrum decus ingens; gloria gentis
Boromides, patriique ſoli, quem vexit ad alta
Sidera agens pennis virtus, qui altaribus auxit
Cœlicolûm numerum, meritis ter laudibus ornans
Suggeſtu e ſacro dium, ac venerabile Linum
Elicuitque oculis fletum, ac ſuſpiria corde
Flens ipſe, & memorans, quæ Chriſtus quantaque paſſus
Accenditque animos vitæ melioris amore
Alta canens decora, & merito Stirpique Sabaudæ
Munere dignatæ tanto, & tibi denique plaudens.
Et dubitet quiſquam dictis extendere Doni
Ingentis famam, atque aris imponere honorem?
Nec non & quotquot celſo de pegmate diam
Tollentes Telam innumeræ pia lumina pridem
Explerant turbæ, gemmis ſacra tempora cincti,
Pontifices, fandi doctiſſima pectora, mentes
Conventu in medio tenuere, ad ſidera nomen

Di-

Divini Herois, tinctumque cruore tropæum,
Ipſius exuvias, inſigni laude ferentes [1];
Prætereaque alii, quæ copia cuique, viciſſim
Muneris & pretium ſimul, & cum munere ſummum
Auctoris, tellus cui paret, & æther, amorem
Ornarunt multi, quam quiſque in rebus egenis
Poſſit opem, Linum venerans, ſperare, docentes.
Ex illo hic mos ſervatus; lætique minores
Pignoris eximii juſſis celebrare diebus
Certarunt decus, & cumulare altaria donis:
Ex illo magis, atque magis late undique clara
Taurinæ cœpit fama increbeſcere gentis,
Gloriaque augeri, quæ nunc vulgata per orbem.
Carolus interea, perfectis ordine votis,
Adparat Inſubriæ ad fines, patriamque reverti:
Jamque adeo admoniti comites tecta hoſpita cuncti
Liquere, exſpectantque alacres ad limina prima.
Magna manus Procerum digreſſu mœſta futuro
Splendida regali fluit alta per atria luxu
Omnia fauſta precans: aulæ mox Arbiter ipſum
Inclytus Emmanuel adfatur vocibus iſtis:
Ut te, quem merito Taurinum ſuſpicit omne,
Ægre dimitto, o animo gratiſſime noſtro,
Carole! Quamque cito, tibi quod traducere mecum
Certum erat hic, tempus, rapidus velut eurus, abivit!

1 Cardinalis Ferrerius ſemel; Hieronymus Ruverius Archiepiſcopus Taurinenſis ter.; Joſeph Parpalia Archiepiſc. Tarant. ſemel; Ludovicus Grimaldus Epiſc. Vencienſis; Johannes Maria Taparellus Salutienſis; Joh. Franciſcus Bonhomius Vercellenſis; Cæſar Gromius Auguſtenſis; Cæſar Ferrerius Savonenſis ſemel. *Pingon. ibid.*

Sed quoniam menti jam conſtat firma voluntas ;
Molirique fugam precibus non amplius æquum eſt ,
Unum oro : Nato , Patris qui ſola voluptas ,
Solaque ſpes Regni , me decedente , futurus ,
(Tendebatque manum his verbis clara indole Natus) [1]
Poſce Deum , quæ vera bona , & quæ Principe digna ;
Tum generi cuncto diſcedens fauſta precare ; [2]
Et veniam , pacemque mihi. Cui Præſul ab imo
Pectore dans gemitum , meritos & laudis honores
Rejiciens ultro , ac ſuffundens ora rubore ,
Immo , ait , in Lino , quo nil eſt ſanctius uſquam ,
Quodque tuis Deus , & monumentum , & pignus amoris
Ferre dedit Patribus , ſua monſtris omina firmans ,
Spem Generis totam , Emmanuel, Natique, tuique
Uſque ſitam , fixamque habeas. Quid namque, vel iram
Divinam citius placet , vel tetra pericla
Arceat , aut cœlo auxilium deducat ab alto
Rebus in adverſis potius , ſervetque ſecundas ?
Scilicet , ut quondam , Phariis dum ceſſit ab oris

1 De hoc Adornius in laudata epiſtola his verbis : Eſt Carolus ætate adoleſcens , ſed ſenili judicio , ingenio peracri , flagranti pietate , eximia religione , prudentia ſingulari. In omni recto ſtudio præterea verſatus eſt : ſed ſacras hiſtorias præcipue callet.

2 Crebri inter ipſum (Cardinalem) , & Emmanuelem Philibertum, remotis aliis , habiti ſermones de chriſtiana religione tuenda, propagandaque , de pellendis deſertoribus , de vitandis eorum inſidiis , de vi propulſanda , de frangenda audacia . Demum Emmanuel Philibertus diſcedenti Cardinali ſe ipſum , & Filium , & res ſuas omnes etiam , atque etiam commendavit , Deum pii Viri precibus facile exoratum iri confidens. *Tonſus ibid.*

Digitized by Google

Gens Hebræa procul, ſua & Orgia prima Parentis
Æterni admonitu inſtituit, cruor illitus agni
Mactati foribus tecto avertebat ab omni
Commune exitium, paciſque erat undique ſignum:
Ut, quæ ſervabat ſummo cum Numine fœdus
Olim initum cuſtos cedrus, quibus ipſa recepta,
Ædibus arcebat rerum diſcrimina quæque
Fortunans dominis ſobolem, & bona cœpta ſecundans;
Sic tutela Domus Linum hoc, tutelaque Regni
Fida erit, ac præſens ſemper: licet omnia ſperes
Fœderis hoc ſignum oſtentans Natoque, Patrique,
Queis tellus paret, quæis æther, & æquora ponti:
Nec tam longinquis nequicquam æterna Poteſtas
Avectum abs oris Patribus donavit habere
Ipſa tuis, voluitque hac demum in ſede locari.
Perge modo, ut cœptum, doniſque ingentibus aras
Adcumula, & certent tecum cuncti uſque nepotes.
Sit fas id tantum noſtra te voce moneri.
At tu præclara felix virtute Parentis,
Ingenioque tuo, ſuperûm juſtiſſima cura,
Carole, macte animo, patriiſque adſueſce triumphis;
Utque facis, cole juſtitiam. Sic itur ad aſtra.
Hæc ubi dicta, oculos celſa ad laquearia tollens
Luſtravitque viros, dixitque precantia verba:
Mox aulam comitum medius, Taurinaque linquit
Mœnia, & Inſubrem redit exſpectatus ad urbem.
Hinc, ſibi lætitiæ fontemque, caputque futuram
Tempus in omne, Dei veram, impreſſamque cruore
Effigiem Lino, monſtris memorabile Pignus,
Cœlicolûmque opus, ac monumentum inſigne ſalutis
Sede ſua tandem Taurina urbs excipit: hinc jam

Munere divino felix incedit, & urbes
Longe una ante omnes caput effert jure, ſuiſque
Præſidium natis, rerum ad diſcrimina cuncta,
Cunctos ad caſus gaudet cœleſte paratum.
Et dum Camberium (ceu, cui ſit natus ademtus
Solamen miſeræ, & requies optata ſenectæ,
Orba viro mater) jam ſpe ſe denique cernit
Deluſum vana, curiſque ingentibus ægrum
Indulget lacrymis, late loca queſtibus implens,
Amiſſumque dolens cœli venerabile Donum;
Ipſa Deo grates mira dulcedine læta
Perſolvit meritas; cunctiſque in vota vocatis
Præſtitibus Divis, ut, quæ ſe temperat æquis
Legibus imperitans, Gens alto a Sanguine Regum,
Quæque ſui proprium ſupremo a Numine dium
Accepit Pignus, Patrum pietate ſecunda,
Floreat æternum fama uſque ingentior ævum,
Muneribuſque aram cumulat, qua ſacra repoſta
Tela; novumque memor faſtis commendat honorem.
Salve o Cœlicolis dilecta, & jure beata
Undique nunc dicta auguſti moderamine Regis,
Quem celebrem factis, bellique, & pacis amicis
Artibus egregium jamdudum ſuſpicit orbis,
Heroum generoſa parens, urbs clara; tuaque
Utere ſorte memor, quæ te indulgentia cœli
Prætulerit cunctis tanto te munere dignans.

FINIS.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

005655822

Digitized by Google

MC

Digitized by Google

Digitized by Google

Munere divino felix incedit, & urbes
Longe una ante omnes caput effert jure, ſuiſque
Præſidium natis, rerum ad diſcrimina cuncta,
Cunctos ad caſus gaudet cœleſte paratum.
Et dum Camberium (ceu, cui ſit natus ademtus
Solamen miſeræ, & requies optata ſenectæ,
Orba viro mater) jam ſpe ſe denique cernit
Deluſum vana, curiſque ingentibus ægrum
Indulget lacrymis, late loca queſtibus implens,
Amiſſumque dolens cœli venerabile Donum;
Ipſa Deo grates mira dulcedine læta
Perſolvit meritas; cunctiſque in vota vocatis
Præſtitibus Divis, ut, quæ ſe temperat æquis
Legibus imperitans, Gens alto a Sanguine Regum,
Quæque ſui proprium ſupremo a Numine dium
Accepit Pignus, Patrum pietate ſecunda,
Floreat æternum fama uſque ingentior ævum,
Muneribuſque aram cumulat, qua ſacra repoſta
Tela; novumque memor faſtis commendat honorem.
Salve o Cœlicolis dilecta, & jure beata
Undique nunc dicta auguſti moderamine Regis,
Quem celebrem factis, bellique, & pacis amicis
Artibus egregium jamdudum ſuſpicit orbis,
Heroum generoſa parens, urbs clara; tuaque
Utere ſorte memor, quæ te indulgentia cœli
Prætulerit cunctis tanto te munere dignans.

FINIS.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

005655822

Digitized by Google